ERRATA RECENTIORVM MEDICORVM, LX. NVMERO, ADIECTIS eorundem confutationibus, in Studioſorum gratiam, iam primum ædita.

Leonardo Fuchſio Medico, Authore.

Haganoæ in ædibus Iohannis Secerii.
ANNO M. D. XXX.
Menſe Martio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ΝΙΚΙΤΗΣ ΟΒΣΩΠΟΙΟΣ ΑΝΑΓΝΩΣΤΗ.

Εὖ καὶ ἐπισταμένως εὐγλώσσοις ἔγραψεν Ὅμηρος
ὑμνῶν Ἰλιακὸν Δαρδανίων πόλεμον.
πολλῶν ἰητῆρα βροτῶν ἀντάξιον ἄλλων
τῆς παντεχνίδος πληθόμενον σοφίης.
οὐδ' εὖ ἀκεστορίης γὰρ ἔδωκε βροτοῖσιν ἄρειον
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης ἀθανάτων βασιλεύς.
ἣ νούσους πολυπήμονας ἀνθρώποισιν ἰᾶται
ἄλγεσι γυιοβόροις κάρτα μαραινομένοις·
ἥτ' ἐδίδαξε πολεῖς ὀδυνήφατα φάρμακα πάσσειν
παντοδαπῶν ἀχέων ἄλκαρ ἀλεξίκακον.
ἥτ' ἀρετὴν βοτάνων, ῥιζῶν τε φυτῶν τ' ἐπέδειξε
[illegible] παύεται ἕλκεα τ' ἀο[illegible]
πῶς νύ τοι ἐν κρυέροιο ἀοσσητῆρα [illegible]γοιο
ἠνύσατο βροτῶν μὲν πολυ[illegible]ιατεν;
ἀλλὰ πάλιν μέγα πῆμα κακὸς, δήλημα μέγιστον,
ἔργα δ' ἀκεστορίης μηδὲν ἐπισταμένος.
ὅς μήτ' οἰκείας παιήονος ἐστὶ γενέθλης
υἱεὺς, μήτ' ἔρνος γνήσιον, ἀλλὰ νόθος
τῶν ἀναρίθμητος κακοήθεα στόματα πληθὺς
ὀζακέων, λαῶν ἔθνεα πολλὰ φονεῖ
τῶν γοῦν ἀνδροφόνων θυμόφθορα σφάλματα δίκνυ
Φούξιος ἰητρῶν δεύτερος Ἱπποκράτης.
ὅστις ἄρ' οὐκ ἐθέλεις πολλοὺς ἄϊδι προϊάπτειν
νυσαλέους φονικοῖς χείρεσι φθειρόμενος
ταῦτα νεογράπτου μαστεύε νοήματα βίβλου
κάρτα σε μὴ σφήλῃς πάντα διδασκομένης.

ILLVSTRISSIMO, CHRISTIANISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO, D. GEORgio Marchioni Brandenburgenſi, Stetenſium ac Pomeraniæ Duci, & Norimbergæ Burggrauio, Domino ſuo Clementiſſimo, Leonardus Fuchſius Medicus S. P. D.

NON SVM NESCIVS, Illuſtriſſime Princeps, quantum Tuæ Celſitudini ob non uulgarē in me munificentiam ac fauorem debeam. Quid enim, ut reliqua taceam, a Tua Celſitudine munificentius gratiuſq; contingere potuiſſet, q̄ quod a uariis peregrinationibus, quibus ſemper fere obnoxium eſſe conueniebat, me ſeceris immunem? quæ non ſemel equidem, ſed iterum atq; iterum a dulciſſimo literario ocio traxiſſent inuitum. Intelligebas ſane in tempore, admodum moleſtas eſſe mihi multifarias iſtas profectiones, exoſoſq; fore equeſtres illos ſtrepitus, ob id ſtudiis me conſuetis committendum curaſti, a quibus non ſine magna moleſtia me diſtrahi animaduerteras. Verum, utcunq; munificentiā tuam expertus ſim, attamen hactenus grati hominis officium erga Celſitudinem Tuam optare magis licuit, q̄ præſtare. Malueram etiam aliquanto præſtare ſerius, modo plenius. At ne fruſtra, citraq; fructum omnem, hoc quicquid eſt temporis, quo a profectione mihi ferias eſſe uoluiſti, perdere me ſuſpicareris, citius hoc quod animo uoluebam perficere conatus ſum. Et cum, Plinio lib. xxix. capite primo teſte, nullum ſit in Medicina mendatio periculum maius, quando in ea uel minimum erratum citra uitæ humanæ detrimentum eſſe nequit, commode me facturum duxi, ſi recentiorum Medicorū errores, & eos quidem præcipuos, nam om̄es quis poſſet?

in unum uolumen colligerē, collectoſq; Celſitudini Tuę dicarem: partim ut intelligeres me interim, dum peregrinatione abſtineo, minime eſſe ocioſum, utq; animum meum laudibus tuis impenſe fauentem, tuæq; munificentiæ haud immemorē declararem: partim etiā ut ex inclyti tui nominis præfatione lucubrationibus iiſce meis fauoris nonnihil conciliarem. Quas enim ad te adfero, tanto maius patrocinium poſtulant, quanto plures ſunt habituræ, qui eaſdem mire exoſas habebunt. Eo autem libentius hanc ſcribendi prouintiam delegi, quod a noſtra profeſſione non eſſet aliena, quando trito etiam Græcorum prouerbio præceptum ſit, Quam quiſq; norit artem, in hac ſe exerceat: præterea etiā, quod Studioſis nonnihil hoc meo labore prodeſſe ſperauerim. Quare nemo exiſtimet me id operis ſumpſiſſe animo uel calumniandi, uel uenandæ gloriæ ſtudio, uerum ſolius ueritatis amore, mortalitatiſq; tantum iuuandæ cauſſa, quando ætati noſtræ circa uera remedia caliganti, & futuræ poſteritati non parum conducere arbitratus ſum, ſi Medicæ artis Studioſi hoc pacto in meliorem uiam reducerentur. Minime igitur factum, ut uiris, quantum illa ferebat ætas, doctis, multæq; lectionis detraherem, ſed ne in omnibus ſimpliciores, nominis authoritate decepti, eorundem ſubſcriberent ſententiæ, cum nullius nomini quantum ueritati ſit deferendum. Proinde, etſi antea per Leonicenum uirum in omni diſciplinarum genere doctiſſimū, exactiſſimiq; iuditii hominem, ac per alios quoſdam magni nominis uiros, non pauci Medicorum errores libris æditis mundo proditi ſint, attamen eoſdem non omnes qui hic habentur, nec ordine aliquo, ſed ut paſſim ſeſe obtulerunt, attigiſſe certum eſt. Inſuper omnia hic, ut aiunt, rudius ac planius, q̄ apud illos docentur. Quare ut omnes ordine quodam, & uno uelut faſce concinnatos haberent ueritatis Studioſi, hoc quicquid eſt laboris ſubire uolui. Et ſi magnitudo rei nonnihil deterruerit, tamen quod quouis labore ac inſtantia me aſſequi poſſe confidebam, detrectandum non cenſui, potiſſimum cum conſtaret bonos quoſuis primos illos meos conatus ueluti quædam præludia non eſſe aſpernaturos. Moroſos uero ueteris inſcitiæ propugnatores, barbariæq; ſordibus contaminatos Medicos, cum uniuerſo Sophiſtarum cœtu, nihil moror, quando omni penitus eruditione atq; iuditio careant, nec quicquā quod ipſi non didicerunt, penſi habeant. Quibus certe multo iuſtius aſini auriculas Dii dederint.

derint, quàm Midæ, repertis enim frugibus glandem defendunt, nec cum Gryllo in hominem redire uolunt, ut quibus in ſterquillinio, Suum more uerſari perpetuo placet. Quod equidem nō alio nomine, Galeno ſcribente, ſit, niſi quoniā ueram ſpeculationem non nouerunt, nunquam incipere, ut eandem diſcant, erubeſcūt. Cæterum uidebunt Cumani iſti aſini, utcunq; inſcitiam ad tempus occultent, fieri non poſſe, quin aliquando promineant aures, utcunq; etiam texerint, prodantq; Lampſacenū rudentem. Blandos nanq; ſermones, egregias nugas, Thraſonicam iactantiam, magnificam pompam, annulos multos, & quicquid eſt effœminatorum morum, ſi detraxeris, non Medicos, ſed meros carnifices, ſutoreſq; deprehendes. At faxint Superi, ut aliquando Catonis exemplo paſſim hoc Medicorum, circumforaneorumq; genus urbibus proſcribatur. Reliquum eſt, Princeps Illuſtriſſime, ut hoc ſtudiorum meorum monumentum hilari atq; exporrecta fronte ſuſcipias, idq; a maleuolorum uenenatis dentibus, alienæq; uirtutis oſores ſtrenue defendas. Studium meum ac animi mei promptitudinem erga Celſitudinem Tuam declarare uolui, quam Ieſus Chriſtus, Optimus Maximus, mihi tuiſq; omnibus diu ſeruet incolumen. Vale, Menſe Octobri. Anno a nato Chriſto. M. D. XXIX.

Lib. viij. The. Meth. cap. iij.

ELENCHVS SIVE INDEX BREVIS, EORVM

quæ in toto opere continentur.

QVAE IN TOMO PRIMO.

1 Aloe non aperit uenas, nec cit ſanguinem. *Fol.* vi

2 Manna Græcorum aliud a Manna Arabum. vij

3 Reubarbarũ noſtrum ab antiquorũ per om̃ia diuerſum eſt. viij

4 Sanguis Draconis non eſt ſuccus Sideritidis herbæ, ſed eſt Cinnabaris Dioſcoridis. ix

5 Napellus, iuxta Auicennæ decretum, minime in potu propinandus, nec radicis Pentaphylli ſuccus inter uenena numerandus. eodem

6 Antiquorum Bugloſſus noſtra eſt Borago. x

7 Agrimonia, qua paſſim in officinis utuntur, eſt Eupatorium uerum. xi

8 Harmel eſt ſemen Rutæ ſylueſtris, non autem Cicutæ. xij

9 Aloe mixta melli plus purgat, ac ſtomacho minime nocet. xiij

10 Caſia Græcorum, ab Arabum ac recentiorum eſt diuerſa. xiiij

11 Perperã Meſue præſcribit Doſin Reubarbaro, Epithymo, Scammoniæ, Polypodio atq; Euforbio. xv

12 Ignorant noſtræ ætatis Medici, quid ſit radix, quam pro Turbit officinæ uendunt. xvi

13 Differt Arabum authorum Sandaraca, a Græcorum. xvij

14 Theriacæ a noſtri ſeculi Medicis certa non habet̃ ſcientia. xviij

15 Saccharum antiquorum a Sale Indo nihil differt, a Zuccharo tamen noſtro diuerſum eſt. xxij

16 Herba ex qua ſit Ladanum, non eſt Ciſſi, hoc eſt, Hederæ ſpecies. xxiij

17 Sucutum non eſt Semperuiuum, aut Mandragoræ ſemen, ſed id quod antiquitas Symphytum Petræum nominauit. xxiiij

18 Arabes perperam Mezereon, quæ Græcis Chamælæa uocatur, inter Lactaria connumerant, eandemq; cum Chamæleone confundunt. xxv

19 Auicenna Cicutam, Napellumq;, herbas uidetur ignoraſſe, quoniam quæ Cicutæ debentur, Napello tribuit. xxvij

20 Auicenna uicinitate nominis deceptus, Ixion, id eſt, uiſcum, pro Ixia inter uenena enumerat. xxviij

Ignoraue

21 Ignorauerunt Arabes, herbam Iſatidem, ideoq; ancipites in ea deſcribenda fuerunt. xxx
22 Auicenna Calamentum cum Origano confundit. xxxi
23 Auicenna quatuor herbas, natura & figura differentes, ſub unius Auriculæ Muris appellatione confundit. xxxij
24 Herba priſcis Pes Coruinus appellata, a noſtra ſic nominata eſt diuerſa. xxxiiij
25 Carabe non eſt Populi arboris gummi. xxxv
26 Auicenna præter hoc quod uarius in deſcribenda Populo arbore eſt, falſo etiam calidam eſſe in tertio ordine aſſerit. xxxvi
27 Perperam Scrapio Oxymyrſinen eſſe arborem ferentem Cubebas exiſtimauit. xxxvij
28 Multi noſtræ ætatis Medici ignorāt quid ſit Memithe. xxxviij
29 Phaſelus differt a Phaſiolo. xxxix
30 Falſo Medici iuniores Iuiubas & Sebeſten fructus ad quoſdam Medicinæ uſus adhibent. eodem
31 Herba Lichen Græcis dicta, falſo a noſtris Hepatica uocatur. xl
32 Auicenna Volubilis herbæ proprietates cum Hederæ proprietatibus confundit. xli
33 Meſue Centaurium maius cum minore confundit. xlij
34 Auicenna & Serapio lapidem Armenum et Lazuli confundunt.
35 Male agunt Medici, in Cantharidum exhibitione, alas (xliij abiicientes. xlv
36 Alibium non eſt Eryngiũ, ſed herba Inguinaria dicta. eodem

QVAE IN TOMO SECVNDO.

37 In interiorum membrorum inflammationibus incidenda eſt uena quæ e directo eſt. xlvi
38 In Dyſenteria ac Colica purgatoriis medicamentis ex Scammonia & ſimilibus confectis non utendum. l
39 Cacochymiam recentiores Medici non recte deſcribunt, falſoq; alio nomine repletionem ad uirtutem dici contendunt. lij
40 In curandis renum Calculis, aſſidua Clyſterium iniectione non utendum. liij
41 Purgatorium medicamentũ attractis humoribus eſt ſimile. liiij
42 Minoratio, ſic enim recentiores quidam loquuntur, concoctioni non præmittenda. lv
43 Elephantiaſis aliter apud Arabes, aliter apud Græcos accipitur, Eodem modo & Lepra. eodem

44 Duo tantum cauſſarum inſalubrium genera, primitiua ſcilicet & antecedens. lvij
45 Morbus Gallicus nō eſt is, quē Græci Lichenen nominãt. lviij
46 Diuerſis iſtis nominibus, Pruna, Ignis Perſicus, Carbunculus atq; Anthrax, unus idemq; morbus deſignatur. lix
47 Auicenna Eryſypelam, Formicam Miliarem, Ignem Perſicum, morbos natura diſtãtes, eorundēq; curationes cōfundit. lxi
48 Perniciosiſſime Auicenna in curatione Bubonis peſtiferi remedia reprimentia adhibet. lxiij
49 Perperam quidam febricitantes, Tertiana maxime correptos Febre, immodicis purgantibus pharmacis excarnificant. lxiiij
50 Errant, qui Febricitantibus quouis tempore interdicunt balnea.
51 Errant, qui iuxta ſanos & ægros immodicis purgatoriis (lxv medicamentis excruciant, & hi omnium maxime, qui eadem infantibus etiam propinant. lxvij

QVAE IN TOMO TERTIO.

52 Bilis meatus a iecōre ad inteſtina in omnibus ferme unicus, licet in quibuſdam geminus. lxviij
53 Stercora ſuum eſſe, ita enim loquũtur, ſeu formam ſubſtantialem in ſtomacho ſeu uentriculo non ſuſcipiunt. lxx
54 Hallucinantur, qui Pyloron ſeu Portonarium a Duodeno non ſecernunt. lxxi
55 Ieiunum inteſtinum non habet eandem, quam Rectum, rectitudinem. lxxiij
56 Ad Ileon ſiue tenue inteſtinum non plures pertingũt uenæ Meſaraicæ, q̃ ad aliquod aliud inteſtinum. eodem
57 Via uocis ac ſpiritus, quæ Trachea arteria dicitur, exterior eſt, cibi autem & potus, quæ Gula uocatur, interior. lxxiiij
58 Septum tranſuerſum non ex omni parte carne caret, Meſenteriumq; perperam Medium inteſtinum interpretatur. lxxv
59 Male Bronchus cum Larynge confunditur. lxxvij
60 Motus gulæ deorſum, gutturiſq; ſurſum mere naturalis exiſtit. lxxviij

FINIS.

AD MEDICAE ARTIS STVDIOSOS, ac ueri Amatores, Præfatio.

NIHIL PROFECTO IN uita humana periculoſius, nihil tam peſtilens atq; noxium, q̃ teneras mentes his imbui, quę operępretium fuerit aliquando dediſcere. Nam Galeno ſcribente, qui in praua doctrina altus eſt, hic geminum tempus requirit: alterum in quo prauas opiniones dediſcat, alterũ in quo melioribus ſe exerceat.

VII. The. Meth. cap. III.

Hinc eſt quod Timotheus clarus in arte tibiarum, Quintiliano teſte, a diſcipulis parum apte prius edoctis, geminam quoq; mercedem exigebat, unam quidem ut bona artis doceret, alteram ut dedoceret ineptias.

Libro III. cap. III.

Proinde prudenter admodum fecerint profeſſioni Medicæ nomina daturi, ſi optima quęq; primum diſcenda ſibi propoſuerint, ne olim in dediſcendo multo maiori ſit opus opera, quam in diſcendo. Tenaciter enim, Quintiliano referente, inhærent animis noſtris ea quæ a rudibus annis percepimus, & hæc ipſa magis pertinaciter, quę deteriora.

Libro I. cap. I.

Quod & Horatius ſignificauit dicens, Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem Teſta diu. Optima uero ſibi diſcenda proponent, ſi magis a fontibus q̃ lacunis, e Gręcis q̃ Arabis, e ueteribus q̃ iunioribus hauriendam ſaluberrimam hanc artẽ duxerint. Nam apud illos pura omnia, erudita, ac cum ſummo delectu iuditioq; deprompta, adeoq; nihil quod Ariſtarchi uirgula dignum ſit offendent. Apud hos autem præter inconditam quãdam & ineptam dictionem, linguæq; balbutiem, non modica ſunt, ſicut ex ijs noſtris lucubrationibus conſtabit, quæ multis obelis digna ſunt, ac plus q̃ Διὰ πασῶν a ueritate diſſidentia. Non eſt autem quod in uniuerſum damnandos atq; reijciendos Arabes, recentioreſq; putem, quando & in ijs non pauca ſint, quæ probanda maxime cenſeam, Verũ cum magno admodũ in iſtis legendis delectu

opus ſit, eoſdem non niſi prius ex ueteribus nacto iuditio, propo nendos duco: ita enim quid candidum, quid atrum in his ſit, faci le ſtudioſi deprehendent. Id quod prudentiſſime etiam admonuit Galenus ita diſſerens, Oportet eum qui melius alijs quicquam ſit intellecturus, ſtatim & natura & ſuæ doctrinæ rudimentis multum alios excedere: ubi uero ad adoleſcentiam peruenerit, ueluti curio ſo quodam ueritatis amore rapi, ac ſi numine aliquo foret afflatus: & neq; diem neq; noctem intermittere properando, ac ſumma in tentione diſciplinam earum rerum appetendo, quæ ſunt ab illu ſtribus authoribus ueteribus traditæ. Vbi uero illas perdidicerit, tunc iuditium adhibere, atq; examen diurnum, & quænam ſibi in uicem conſentiant, quæ ue diſcordent, diligentius conſiderare, atq; ita hæc quidem eligere, illa uero repudiare. Atqui uidemus hoc ſeculo, fœliciſſimã hanc diſcendi rationem eſſe penitus inuer ſam, adeo ut peſſima primo loco diſcamus, optima autem uel om nino negligimus, uel tenuiter ſaltẽ, idq; in poſtremis, attingimus. Hinc factum, ut peruerſo quorundam iuditio, peſſimi pro opti mis, craſſi pro eruditis irrepſerint, ita ut neglectis optimorum au thorum placitis, hic Auicennam ſibi delegerit, ille uero Arnoldũ quendam mordicus tenuerit: alter item Sauonarollam exoſcula tus ſit: atq; adeo unuſquiſq; quocunq; ſua adactus eſt inſania ac in ſcitia, huc delatus eſt, putans ſeſe hoc pacto Medicinam per com pendium aſſequi poſſe. Ea cauſa iſtorum etiam animis tam pertina citer, imo tam peruicaciter, inſedit, atq; inſixa eſt opinio, ut piacu lum ducant, uel latum unguem ab eo quem imitandum propoſue runt, diſſentire, adeoq; immemores illius Luciani in Hermotimo, ὀυδὲ παρὰ λίθον τῷ λόγῳ ποιούμενοι, ἔνθ' ἂν ἡμᾶς οἱ πόδες φέρωσιν ἐκεῖσε ἄπιμεν, Innumeris errorum labyrinthis impliciti, ad ueri cognitionem peruenire non potuerunt. Ne autem perpetuo in tanta rerum caligine uerſarentur Medicæ profeſſionis ſtudioſi, uo lui nonnullos Recentiorum, Arabumq; authorum errores in unũ compilare uolumen, ut ex iſtis quid poſthac de prædictis ſentien dum ſit plane intelligant, diſcantq; Leonem ex unguibus æſtima re. Neq; temere me facturum exiſtimaui de tot celebratis uiris iu dicare, cum ueritate ipſa nihil habeam antiquius. Digeſſimus au tem opus uniuerſum in Tomos tres, in quorum primo errata quę ad herbarum, plantarum ue, ac reliquæ materiæ medicæ notitiam attinẽt, tractamus. In ſecundo uero, quę ad medendi methodum.

In tertio

In tertio, quæ ad Anatomiam ſeu ſectionē membrorum corporis pertinent, attingimus. Cæterum ne mirentur Studioſi, & hi maxime qui nihil niſi eleganter dictatum audire patiuntur, me paſſim Barbaros citando, barbara eorundem dictione uſum, id enim non ſine cauſa a me factum ſciant. Nam mihi uolenti Barbaros refellere, licitum etiam eſſe arbitratus ſum, his uti uocabulis quibus ipſi in ſuis libris utuntur: ne ſi aliter q̄ ipſi fuero locutus, non tam uidear latinitatem affectaſſe, quantum uerborum ſtudio bonos authores oppugnare tentaſſe, ac per calumniam reprehendiſſe. Adde, quod eorundem uerba referendo, neq; diligentiam neq; fidem in me deſiderare poſſint aduerſarij. Præterea Galeni etiam teſtimonio ſi quando uſus ſum, ſemper iuxta barbaræ æditionis capita uſus ſum: idq; ideo, ut hoc quoq; pacto ſatisfieret ijs qui noua ac latina carent. Ita & Dioſcoridem nunq̄ fere non iuxta latinam Marcelli Virgilij Florentini, uiri undecunq; doctiſſimi, æditionem citauimus, ut ne ijs quibus Græca ignota ſunt, mendax uidear. Iam, Dijs bene uolentibus, recentiorum Medicorum errata ex ordine recenſebimus, primumq; ea quę ad herbarum ac materię medicę notitiam ſpectant. Niſi enim earundem exactam cognitionem quis tenuerit, alia pro alijs remedia exhibere continget.

ERRATA

TOMVS PRIMVS, ERRORES CONTINENS, qui ad Plantarum, Medicæq́ rei notitiam ſpectant.

ERROR PRIMVS.

ALoe non aperit uenas, neq; cit ſanguinem, quemadmodum multi, Meſue authoritate, ſeducti exiſtimant, ſed eaſdem magis occludit, ſanguinem quoq; undequaq; fluentem ſiſtit.

Animaduertant ſtudioſi eum morem me ſemper obſeruaturum, ut primum eius authoris uerba, qui reliquis errandi occaſionem præbuit, recenſeam. Dein uero, citra omnia uerborum lenocinia, eorundem confutationem ſubijciam. Verba itaq; Meſue unde præſens promanauit error offendūtur libro eius de Simplicibus medicamentis, Cap. i. de Aloe, ubi hunc in modum
» ſcribit, Aloe uenarum orificia apertione ſanguinē ſpargente ape
» rit. Et paulo poſt, Eſtq; maxime nocens hæmorrhoidibus & ano. Quantum autem a uero errauerit Meſue, nemo eſt, niſi talpa cæcior ſit, qui neſciat, quando certum ſit ueterum omnium teſtimonio Aloen habere uim & naturam adſtringendi, & ſanguinis eruptiones compeſcendi. Id quod in primis monſtrat Dioſcorides,
» qui lib. iii. cap. xxiiii. in hanc ſcribit ſententiam. Ἀλόη δύναμιν
» ἔχει στυπτικὴν, καὶ μεθ᾽ ὕδατος ψυχροῦ πινομένη, αἵματος ἀναγωγὰς
» ἐπέχει. αἱμοῤῥαγίας τε ἵστησι τὰς δὲ αἱμοῤῥοΐδων. Id eſt, Aloe uim ha
» bet adſtringēdi, & cum aqua frigida pota ſanguinis excreationes
» cohibet. Quinetiam ſanguinis eruptiones ex hæmorrhoidibus
» factas ſiſtit. Et confirmat eadem Galenus lib. vi. de Simplicibus
» medicamentis cap. xxiii. ita ſcribens, Et glutinat fiſtulas profun
» das, & ad cicatricem perducit ulcera quæ difficile ſanantur, & ma
» xime ea quę fiunt in ano & genitalibus. Apertius uero prædictis
» authoribus Meſue uerba confutat Plinius libro naturalis hiſtoriæ, xxvii. cap. iiii. ita differēs, Aloe ſanguinis excreationes ſi modicæ ſint,

ſint, drachmæ pondere ex aqua: ſi minus, ex aceto pota ſedat. ››
Vulnerum quoq; ſanguinem, & undecunq; fluentem ſiſtit per ſe ››
uel ex aceto. Hęmorrhoidum quoq; abundantiam leniter ſiſtit.
Item Auicenna lib. ii. cap. lxvii. in hunc modum ſcribens:
Aloe quando ponitur cum uino dulci ſuper hæmorrhoidas, & ſiſ ››
ſuras ani, tunc ſiſtit ſanguinem currentem ex eis. Præterea Gale ››
nus lib. iiii. Therapeuticæ methodi cap. iiii. ubi profluuij ſanguī
nis curationem ex profeſſo tractat, nullum efficatius remedium
ad ſiſtenda ſanguinis profluuia eſſe docet, q̃ id quod ex parte alo
es conficitur. Eius autem hæc ſunt uerba, Optimum omnium ››
quæ noui medicamentorum, quo etiam ad cerebri membranarũ ››
hæmorrhagias tutiſſime utemur, eſt quod nunc ſubĳciam. Thu ››
ris pars una, Aloes partis unius ſemiſſi miſcetur, mox cum uten ››
di tempus inſtat, tantum huius cum oui candido ſubigitur, quan ››
tum mellis reddat craſſitudinem, hoc dehinc leporis molliſſimo pi ››
lo excipitur, deinde tum uaſi ipſi, tum ulceri toti liberaliter impo ››
nitur. Vtitur etiam eodem medicamine Galenus libro de uenæ ſe
ctione in glutinanda arteriæ inciſione, adeo ut ſole clarius ſit Alo
en ex natiua proprietate neq; aperire uenas, neq; ſanguinem cie-
re. Quod uero aliquando ſedis uenas aperire uidetur, hoc ex ac
cidenti fit, quoniam uidelicet excrementa bilioſa id ſua acritudine
agentia ad ea loca mouet. Id quod & ex aliis medicinis fieri Gale-
nus lib. vi. Aph. xlvii. ſcribit, ita inquiens, Huic homini ex purga ››
tione ambo hæc optima eueniunt, quod ſcilicet & ſuperfluitates ››
expelluntur, & quod ex acritudine eorum quæ excernuntur, pau ››
latim aperitur os uenæ, quam uocant hæmorrhoidam. Proinde
male admodum Meſue uiribus Aloes tribuit, quod magis bilio
ſis excrementis, id ſua acritudine agentibus, erat tribuendum.

ERROR II.

ERrant tota uia Medici, qui Arabum ac recenti-
orum Mannam, a Græcorum non ſecernunt,
cum illi ſoluendi, huic uero adſtringendi uis inſit.

Mannam Arabum atq; recentiorum, qua nunc paſſim ad molli
endam aluum nobilium utuntur, eſſe diuerſam a Græcorum, ex
eo primum liquet, quod eam, teſte Auerroe Cordubenſe, poſt
Galeni tempora in uſum medicorũ ueniſſe conſtet. Inſuper quod
etiam diuerſa ſit eius a Manna Græcorũ operatio. Arabum enim

Manna medicina eſt, aluum molliens, Græcorum uero potius ad
ſtringens. Arabum uero mannam mollire aluum, diutina iam ex
perientia comprobatum eſt, ob id prolixiori demõſtratione non
opus habet. Mannam autem Græcorum adſtringendi ui eſſe præ
ditam, teſtatur in primis Dioſcorides libro primo, cap. lxxx. de
Manna ita tradens: Μάννα δὲ λιβάνου δόκιμος ἐστὶν ἡ λευκὴ καὶ κα
θαρὰ ἔυχονδρος. δύναμιν δὲ ἔχει τὴν καὶ ὁ λιβανωτός. Id eſt. Man
na thuris probatur, quę candida & pura, uelutq; thus grumoſa eſt
Thuri autem eandem uim habet. Thus uero habere uim adſtrin-
gendi, & cruenta uulnera glutinandi, ſatis ex capite lxxviii. lib.
primi Dioſcoridis liquet. Item Mannam adſtringere multo clari
us indicat Galenus lib. v. Thera. metho. cap. iiii. in hunc modũ
ſcribens, Eſt autem Manna medicamentum quod magis q̃ thus
adſtringit. Idem quoq; doc. t lib. Thera. metho. xiii cap. ii. dicens,
Manna eſt purgamentum thuris, leui adſtrictione prædita, atq;
hoc etiam nomine thure ipſo ad nonnulla utilior. Thus enim pu
ris tantum mouendi facultatem obtinet, ut pote nullam adſtrin
gendi uim habens. Mannæ uero, etiam corticis thuris paululum
eſt admixtum, unde ſcilicet adſtringendi uim habet. Ex quibus
iam ſatis conſtat Meſuen, tribus locis falſo Galenum citaſſe. Primo
de ſimplicibus medicamentis capite de Manna, ubi Galenum m&
nam cum Scammonia permiſcuiſſe ſcribit. Secundo, eodem li
bro capite de Scammonia, ubi iterũ impudenter Galenum Scam
moniam cum ſexcuplo mannæ miſcuiſſe aſſeuerat. Tertio, in Anti
dotario ſuo ubi de medicinis ſolutius agit, confectionem quandã
de Manna ex Galeni inuentione deſcribens. Certum enim admo
dum eſt, Mannam hanc de qua ſcribit Meſue, Galeni temporibus
in uſu Medicorum, ut diximus, non fuiſſe, proinde nec de ea quic
quam ſcribere potuit, incognita enim prorſus erat. Vel ſi ullus
eius apud Galenũ antiquoſq; uſus aut mentio fuit, certe non ſub
ea uoce fuit, ſed potius ſub uoce mellis aerei. Quamuis, ut errore
decimo quinto clariſſime oſtendemus, hoc mel aereum alio nomi
ne Saccharum dictum fuit. Præterea ex prædictis facile iudicabũt
ſtudioſi quantum Petrus Crinitus, lib. xxv. de honeſta diſciplina
cap. vii. cæcutiuerit. Is enim, & ſi alias oculatiſſimus ſit, tamen
Mannam græcorum eandem eſſe cum Arabum aſtruere nihil ue
ritus eſt. Idq; talibus argumentis oſtendere conatus eſt, quæ ma
gis, ſi ad iudicium exigas, diuerſum probabunt. Proinde, caueant

medicæ profeſſionis Studioſi, nominis Mannæ ſimilitudine dece pti, eandem apud Græcos & Arabes recentioreſq́ʒ eſſe exiſtimēt, animaduertantq́ʒ Antiquis in thure ſemper, in aerio autem melle nunq́ʒ uſum eius uocis fuiſſe.

ERROR. III.

CAEcutiunt Medici, qui Rheubarbarum noſtrum, ab antiquorum per omnia diuerſum eſſe non animaduertunt.

Per Rheubarbarum noſtrum, ne nominum te fallat ignorantia, intellige id quo nunc paſſim utuntur Medici. Per antiquorum uero quod Dioſcorides, Galenus atq́ʒ Plinius, & qui iſtis uetuſtiores, deſcribunt accipe. Conſiderandum autem præcæteris erit, quod uulgus Medicorum Rheubarbarum, & Punici Raued ſeni uocant, hoc Galenus interdum Rheon, aliquando Rhiam, interdum etiam Rheon ponticum, Dioſcorides Rha, & iuxta quoſdam Rheon, ſecundum alios Rhian, Plinius Rhacoma, Celſus radicem ponticam appellat. Quod ideo admonendum duxi, ne nominum diuerſitate quis deciperetur. Verum Rheubarbarum, quo nunc paſſim officinæ utuntur, & quod Meſue deſcribit eſſe diuerſum ab eo, quod Antiqui depingunt, manifeſtum ſit ex eius notis, quæ ab ijs quę in eo offenduntur, quod ab antiquis deſcribitur, ſunt omnino diuerſæ. Nam Rheon antiquorum, teſte Dioſcoride lib. iii. cap. iii. ἐστὶ ῥίζα μέλαινα, κενταυρείῳ τῷ „
μεγάλῳ ἐοικυῖα. μικροτέρα μέν τοι καὶ ἐνϑρυθροτέρα, ἄοσμος. χαύνη, „
ὑπόκουφος. Hoc eſt, Radix eſt nigra, maiori Centaurio ſimilis, mi „
nor tamen, & magis rubens, ſine odore, fungoſa ſeu laxa, nec „
ponderoſa. Subſcribit & Galenus libro de ſimplicibus medicamētis ad Paternianum cap. CCxxviii. ita inquiens, Rheon quod a „
quibuſdam Rheon ponticum dicitur, radix eſt magna & nigra, „
fungoſa, leuis, odore carens, guſtu calefaciens, & leniter adſtringens. Nec diſſentit Plinius lib. xxvii. cap. xii. ita ſcribens, Rha „
coma affertur ex his quæ ſupra Pontum ſunt regionibus, Radix „
Coſto nigro ſimilis, minor & ruffior paulo, ſine odore, calefaciens guſtu, & adſtringens. Ea uero quæ iam in uſu eſt medicorū, uehementiſſimum odorem habet, nullumq́ʒ cum Coſto nigro

ſimilitudinem gerit. Et præter id quod odorata eſt, leuis etiam non eſt, immo quanto grauior, tanto melior a Ioanne Meſue & ab omnibus putatur. Adde quod iſtarũ quoq; diuerſus eſt uſus. Antiqui enim ſua ad uentris purgationem non utebãtur, ſed ad pleroſq; uſus alios adhibebant, quos operæpretium non eſt hoc loco referre, quando ex Dioſcoride, Plinio, Galeno, reliquiſq; facile diſci poſſunt. Certum tamen eſt huic maximam & præcipuam uim adſtringendi fuiſſe. Ita Auicenna quoq; lib. ii. ſui Canonis cap. DLXXXV. purgandi uim Rheubarbaro non adſcribit, id quod facit & Fen xvi. Cano. iii. Tract. i. Cap. iiii. ſed Rheubarbarum inter medicinas adſtringendi uim habentes, ut paſſim quoq; alias enumerat. Nam quantum ipſe ſciam, nunq; Rheubarbaro uſus eſt Auicenna tanquã medicamento purgante. Noſtri uero ſecuti Ioannem Meſue inter cætera purgantia medicamina tanq; præcellentiſſimum ſuum Rheubarbarũ collocant, nec enim uim purgatoriam minorem Agarico habet. Quod & uerum eſſe non ſolum Meſues, ſed etiam Auerrois ac recentiorum omnium authoritate, ipſaq; experientia didicimus. Accedit ĳs omnibus quod noſtrum non a Ponto, ut ueterum, ſed ab extremis meridionalis Indiæ partibus ad nos uehitur. Quæ ſingula certe ſatis ſuperq; declarant noſtrum Rheubarbarum ab antiquorum eſſe penitus diuerſum. Nam ſi in eo de quo ſcribunt uim purgatoriã antiqui inueniſſent, procul dubio ſilentio non præterĳſſent. Hoc non animaduertens Auerrois ille Cordubenſis, ſatis impudenter Galenum notat, eo quod conſtringere uentrem ſcripſerit Rheon. Vnum adhuc præterire non potui, ſcribit Ioannes Manardus, reconditæ eruditionis uir, libro ſuarum epiſtolarum medicinaliũ ſexto, ſe a Sigiſmundi regis Sarmatarum medicis didiciſſe, in eo bello quod contra Moſchos fortiſſime rex geſſerat, repertum eſſe aliud Rheon, cõmuni quidem ſatis ſimile, ſed penitus inodorum quod dubio procul fuit id quod ueteres pingunt. Omnes enim antiquorum notæ in eo deprehenduntur. Affertur namq; ex ĳs quæ ſupra Pontum uel Boſphorum ſunt regionibus, prope uidelicet Rha flumen, radix nigra, & coſto nigro exterius, magno Centaurio interius ſimilis, minor tamen & ruffior, ſine odore, calefaciens guſtum & adſtringens, laxa, ſubleuis, & dum maſticatur pallida, & ad crocum uergens. Quare non eſt quod poſthac hæſitent ſtudioſi, Rheubarbarum noſtrum ab antiquorum in uniuerſum differre.

RRROR IIII.

ERrant impudentiſſime, qui Sanguinem Draconis uulgo dictum, Sideritidis herbæ ſuccum eſſe adſerũt, quãdo uerius metallũ dici poſſit, in uniuerſum enim cum Dioſcoridis Cinnabare cõuenit.

Omnes fere noſtra ætate Medici Serapionis atq; Auicennæ errorem ſequentes, id genus Sanguinis Draconis, quod nunc paſſim in uſu habetur, ſuccum herbæ cuiuſdam arbitrantur, quæ a Græcis Sideritis: a ferro, quoniam glutinandis uulneribus apta præcipuum in bello haberet uſum, uocata eſt. Verum eoſdem eſſe falſos, manifeſtiſſime oſtẽdit Dioſcorides Lib. iiii. Cap. xxxii. Nam is de Sideritide herba, omnibuſq; eius generibus pleniſſime ſcribens, ex nulla eiuſdem ſpecie talem exprimi ſuccum edocuit, quo Medici pariter atq; Pictores ad ſuum utriq; opus uterentur, quod tamen ſi uerũ fuiſſet, nullo pacto ſilentio pręterijſſet. Quare multo probabilius eſt ita de Sanguine Draconis ſtatuere, quod ſit eius generis metallum, quod a Dioſcoride Cinnabaris dicitur. Nam huic omnes Cinnabaris notæ, quas recenſet Dioſcorides Lib. v Cap. lxiii. conueniunt. Quemadmodum enim Cinnabari pretium ingens eſt, ut poſt Dioſcoridem quoq; teſtatur Plinius Lib. xxxiii. Cap. vii. eoq; pictores uariandis in pictura lineis, ac Medici ad ea quę ſanguinem ſiſtunt, utuntur: ita duplicem hunc & in pictura & medicina uſum compertum habemus in eo quod purum Sanguinem Draconis appellant. Nam rarus inuentu eſt atq; difficilis, nec minus carus q̃ legitur fuiſſe apud antiquos, & hoc quando ſyncerus atq; incorruptus uenundatur. Etenim qui paſſim in Seplaſiariorum officinis uenalis habetur, adulterinus eſt, licet eum pro uero in medicinæ uſu recipiamus, ut pleraq; etiam alia, ſicut in ſequentibus fuſius narremus. Sentit nobiſcum exactiſſimi iudicij uir, Nicolaus Leonicenus in epiſtola ad Angelum Politianum. Nemo autem exiſtimet Cinnabarim Dioſcoridis eſſe eam, quam nos uulgo Cenabrium uocamus, ea enim factitia eſt, ex argento namq; uiuo conficitur, uenenumq; eſt. Dioſcoridis uero minime factitia eſt, neq; uenenis cõnumeratur. Quod ideo admonendum duxi, ut hoc pacto medicinæ Candidatos ab exitiali errore reuocarẽ, ne ſcilicet, ſi Cinnabarim in Receptis, ſic enim ſuas compoſitiones uocant, ſcriptum inuenirent, pro ea nominis ſimilitudine decepti, Cenabrio noſtro uterentur, quod

uenenũ eſſe manifeſtũ eſt. Cur autẽ Cinnabarim hanc Dioſcori-
dis Sanguinẽ Draconis nominẽt, ea ratio in promptu eſt. Nanq;
durat adhuc antiquorũ quorũdã in hoc nomine perſuaſio ac opi-
nio, qui Cinnabarim illã, quę ad uſum picturę & medicinę adhibe
tur, ex draconũ atq; elephantorũ ſanguine permixto fieri putaue-
,, rũt. Hoc q̃d Dioſcorides ĳs uerbis indicat, ἔστι δὲ καὶ βαθύχρουν.
,, ὅθεν ἐνόμιζον τινὲς αὐτὸ εἶναι αἷμα δράκοντος. Id eſt, Profundi colo-
,, ris eſt. Eamq; ob cauſam crediderũt quidam Draconis Sanguinẽ
Cinnabarim eſſe. Opinionẽ hanc uulgarem ſecutus eſt & Plinius
libro paulo ante citato. At eam de Sanguine Draconis opinionẽ
eſſe falſam, liquet ex eo potiſſimũ, quod Dioſcorides de Cinnaba
ri nõ libro ſecũdo inter medicinas ex animaliũ ſanguine ſumptas,
ſed potius quinto inter metalla tractauit. Galenus quoq; medicus
nobiliſſimus, ſuo de Simplicibus medicaminibus libro ix. Cinna
barim inter metallica recenſuit. Auerrois pariter in Lib. v. Col
liget Cap. xliii. Sanguinem Draconis inter metalla connumerat,
adeo ut luce meridiana clarius ſit Sanguinem Draconis non ſuc
cum, ſed potius metallum eſſe.

ERROR V.

DElirant Medici, inq; pernitiem certam homi nis tendunt, qui Auicennam ſecuti, Napellũ exitiale uenenum in potu propinandum putant. Radicis uero Pentaphylli ſuccum, contra uenena potentem, tanquam pernitioſum atq; mortiferum damnant.

Auicenna Cap. DIII. ſecundi Canonis ſcribit Napellum eſſe
uenenum pernitioſum, deſtruens bibentem ſe. At mox oblitus
eorum quę ſcripſit, capite eodem hunc potari ſuadet, dum inquit,
,, Delet albaras linitum & bibitum. Quid quæſo abſurdius aut dici
aut ſcribi potuiſſet ab homine qui reliquorum ſe magiſtrũ facit?
Annotandum itaq;, quod noſtræ ætatis Herbarĳ Napellum no
minant, hoc a Græcis latiniſq; Aconitum uocatur. Et id Plinio
Lib. xxvii. Cap. ii teſte, omnium uenenorum eſt ocyſſimum.
,, Quod etiam confirmat Galenus Lib. de Simplicibus Medicamen
,, tis Cap. xx. ad Paternianum dicens, Aconitum ualde uenenatũ
eſſe. Ita & Dioſcorides Lib. iiii. Cap. lxxi. Aconitũ inter uenena
recenſet

recenſet, dum ait, κτείνει παρδάλεις καὶ σῦς καὶ λύκους καὶ πᾶν θηρίον κρέασιν ἐντιθέμενον καὶ παραβαλλόμενον. Hoc eſt, Enecat Pantheras, ſues, lupos, beſtiasq; omnes inſperſum carnibus, & illis in cibo appoſitum. Hinc cauendum ne in potu aut cibo ſumatur. Id quod Paulus Aegineta ijs uerbis monuit, ἀκόνιτον δ' ἡ μὲν παρδαλιάγχες σηπτικῆς καὶ διαλυτικῆς δυνάμεώς ἐστιν, ὅθεν αὐτὸ οὐ ληπτέον ἔξωθεν μέντοι ἐπὶ τῶν σηπτικῶν δεομένων σαρκῶν χρηστέον αὐτῷ. Quod eſt, Aconitum quidem cognomento Pardalianches exedentem & letalem uim habet. Eamq; ob cauſam intus cauendum eſt. Foris tamen in carnibus quas exedi oporteat uti licet. Ita & reliqui omnes Aconitum laudant, ſi abſtergendum aliquid ſit ex corpore, nullus autem unq; præter Auicennam, in potu propinandum docuit. Cæterũ idem Auicenna ii. Canonis Libro, Cap. DLIIII. ſuccum radicis Pentaphylli medicinam pernitioſam eſſe docet. Eius autem hæc ſunt uerba, Succus radicis eius eſt medicina pernitioſa. At q̃ falſa docuerit, oſtendunt ea quæ de eo ſucco Dioſcorides Lib. iiii. Cap. xxxix. in hunc modum ſcribit. ὁ δὲ χυλὸς τῆς ῥίζης ἁπαλῆς ποιεῖ πρὸς τὰ ἐν ἥπατι καὶ πνεύμονι πάθη καὶ τὰ θανάσιμα. Id eſt, Facit & radicis recentis ſuccus ad iecoris pulmonisq; uitia & letalia uenena. Quod & Apuleius Madaurenſis cap. ii. de herbarum uirtutibus indicat, cum ad morſum ſerpentis herbam Quinq; folium potam ac contritam mire utilem eſſe ſcribit. Quæ ſi uera, ut nemini dubium eſſe ſcio, certe ex diametro cum Auicennæ ſententia pugnant. Hæc & ſi manifeſta fere omnibus ſint, attamen quia multis errandi occaſionem dederunt, ideo hoc loco admonere duxi. Nam Sauonarola celebris ſua ætate Medicus, radicem Pentaphylli non aliam ob cauſam non auſus eſt in quartana propinare, niſi quia damnaretur a principe. Ita & Iacobus de Dondis, cognomento Aggregator, huius radicis ſuccum inter uenena pernitioſa ex Auicennæ authoritate numerat. Tantam habet Auicenna apud noſtri ſæculi Medicos authoritatẽ, ut medicinam mortiferam faciat ſalutarem, ſalutarem uero pernitioſam, adeo ut non immerito, rei grauitate commotus, Leonicenus raræ eruditionis uir, in hunc modum exclamauerit, Miſeret me humanæ uitæ, quam uideo quotidie ſub Auicenna, non tanq; principe, ſicut iuniores Medici adpellant, ſed tanq; ſæuo tyranno periclitari. Proinde ex eo intelligent Studioſi, quantum inſaniant

hi qui malunt cum Auicenna aut aliquo alio, cuius uerba pro ora culis habent, errare, q̄ cum his qui medicinam a fontibus hauriũt recte ſentire. At ſatis ea de re in prçfatione noſtra dictum eſt.

ERROR VI.

ERrant Iuniores ferme omnes, qui Bugloſſam noſtram pro uera ac antiqua ad Medicinç uſum adhibent, cum tamen antiquorum Bugloſſus noſtra ſit Borago.

Miſſas hic facio diuerſas ac pugnantes inter ſe recentiorum de Bugloſſa atq; Boragine ſententias, ex quibus facile æquus lector æſtimabit, eoſdem nihil horum intellexiſſe, atq; adeo nihil mirum ſi reliquis etiam errandi occaſionem præſtiterint. Vnum autem hoc oſtendam, Bugloſſum noſtræ ætatis non eſſe antiquorum Bugloſſum, ſed eam quam nos Boraginem uocamus. Noſtram uero Bugloſſam eſſe eam herbã quam græci Cirſion, & propter magnã quam habet cum Bugloſſo ſimilitudinẽ, aliquãdo Bugloſſum magnã, appellant. Commutatæ nanq; inuicẽ duarũ herbarũ appellationes ſunt, quæ enim huic & illi notæ uireſq; tribuũtur, mutatis hac ratione plãtis magis conueniẽt. Quod equidẽ nõ aliunde certius niſi ex ambarũ deſcriptionibus deprehẽdi poteſt. Bugloſſi autẽ deſcriptio apud Dioſcoridẽ lib. iiii. cap. cxix. hçc eſt.
„ Βούγλωσσον ἔοικε δὲ φλόμῳ. φύλλον χαμαιπετὲς, τραχύ τε καὶ μελάντερον, ὅμοιον βοὸς γλώσσῃ, ὅπερ καθιέμενον εἰς τὸν οἶνον εὐφρόσυνον δοκεῖ εἶν. Quod eſt, Bugloſſus Verbaſco ſimilis, folia in terram
„ decidua, aſpera, nigrioraq;, bubulæ linguæ ſimilia, quæ quidem in uinum deiecta, uoluptatem & lætitiam animi facere creduntur. Paulus præterea Aegineta in ſexto de Bugloſſo itidẽ ſcribit, dicẽs,
„ Βούγλωσσον ὑγρόν τε καὶ θερμόν ἐστι τῇ κράσει. ὅθεν τοῖς οἴνοις ἐμβαλλόμενον εὐφροσύνην ποιεῖν λέγεται. Id eſt, Bugloſſum humidum
„ calidumq; temperamento eſt, eamq; ob cauſam uino iniectum, lætitiam animi facere dicitur. Galenus quoq; Lib. vi. de Simplicibus Medicamẽtis Cap. lxxxiii. nihil a Pauli uerbis diſſentit. Quod & Plinius Lib. xxv. Cap. viii. facit, dum ait, Iungitur huic Bu
„ gloſſus boum linguæ ſimilis, cui præcipuum quod in uinum de
„ iecta, animi uoluptates auget, & uocatur Euphroſynon. Iam iſta

ſi quis

ſi quis ſub examẽ uocauerit, ſole clarius uidebit, Bugloſſum hanc ueterum, eſſe noſtram Boraginem. Nam iuxta Dioſcoridis de ſcriptionem folia aſpera & nigriora Boragini noſtræ magis q̃ Bu gloſſo competunt, quæ albicante folio penitus eſt. Quodq; Bu gloſſo nullus non ex antiquis lætitiæ & uoluptatis ſpem, ſi in uini pocula demittatur, tribuit, Boragini paſſim adſcribitur. Iactatq; quotidie gens noſtra ad cordis hilaritatem multo eius cibo utendũ eſſe. Porro Marcus Cato Cap. xl. ſui de re Ruſtica operis, inſitio nem arborum docens, cum inſtituiſſet quatenus & quomodo
ſurculos inſeruiſſe & circumligaſſe oporteat, addidit, Inſuper ling ,,
ua bubula obtegito ſi pluat, ne aqua in librum permeet, eam lin ,,
guam inſuper librum alligato, ne cadat. Ex quibus ſane conſtat in operiendo truncæ & inſitæ ſtirpis rotunda ſectione, rotundio re potius q̃ longiore folio uti præcepiſſe, at Boraginis tale eſt: eius uero quæ nunc Bugloſſus habetur, longa folia ſunt, ideoq; operi endæ rotundæ ſtirpi minus apta. Ex ijs quoq; colligitur caput CCCCXXXVIII. ſecundi Canonis de Bugloſſa ſeu lingua Bo uis apud Auicennam eſſe caput de Boragine noſtra. Nam her- bam eſſe habentem lata folia & cordis confortatiuam ſcribit, quæ ſingula a noſtra Bugloſſo ſunt aliena, at Boragini penitus cogna ta. Itaq; non immerito Auicenna notat ſui ſeculi Medicos, quod non uera Bugloſſa uterentur, ſed alia quæ non eaſdem utilitates haberet. Cæterum quod Bugloſſus noſtra ſit ea herba quam Græ ci Cirſion uocant, ex eiuſdem quoq; deſcriptione oſtendemus. Di oſcorides autem Libro iiii. Cap. CX. eandem ita depingit.
Κίρσιον τὰ δὲ φύλλα βουγλώσσῳ ἐμφερῆ ἔχει. δασέα μετρίως καὶ ,,
μακρότερα. ὑπόλευκα. ἀκανθώδη τοῖς πέρασι: ὁ δὲ αὐωτάτω τοῦ ,,
καυλοῦ περιφερές. δασὺ καὶ ἐπ' αὐτοῦ κεφάλια ἀκροπόρφυρα. ἐκ ,,
παππούμενα. Hoc eſt, Cirſion folia Bugloſſo ſimilia habet, leni ,,
ter hirſuta, longiora tamen, albicantia, & in extremitatibus acu ,,
leata. Quod uero in caule ſummum eſt, circinnatum, hirſutumq; ,,
capitula habet in ſummo purpurea, quæ poſtremo in pappos eua ,,
neſcunt. Haud aliter deſcribit Plinius Lib. xxvii. Cap. viii. in- quiens,
Cirſion cauliculus eſt tener duum cubitorum, triangulo ,,
ſimilis, folijs ſpinoſis circundatus, ſpinæ molles ſunt, folia Bouis ,,
linguæ ſimilia, minora, ſubcandida, & in cacumine capitula pur ,,
purea, quæ ſoluuntur in lanugines. Conſidera iam an nõ ſingula hæc Bugloſſo noſtrę conueniant? Si enim folia expendes, ea certe

in Bugloſſo longiora, uel ut Plinius ait, minora, in Boragine autē decurtatæ rotunditatis, & multo maiora ſunt. Purpurea item in ſummo caule capitula, quæ in Cirſio deſcribunt, eius potius ſunt quæ Bugloſſus nunc dicitur q̄ Boraginis, quæ ceruleos habet flores. Confer itaq; iam cum naturæ exemplaribus utriuſq; hiſtoriā, carptaſq; ex horto Bugloſſum & Boraginem diligenter contemplare. Sane prior illa Bugloſſi hiſtoria noſtræ ætatis Boragini reſpondebit, poſterior autē Cirſij, Bugloſſo noſtrę undiq; cōueniet. Sunt enim Bugloſſi folia longiora q̄ Boraginis, albicant illa, hæc contra nigricant: illa ſurgunt & per ſe ſtant in altum nitentia, Boraginis in terra iacent. Quare conſulto fecerint Medici, cum Bugloſſam ex ueterum authoritate ad uſum Medicinæ adhibuerint, ſi Boraginem potius noſtrā, q̄ illam quæ paſſim Bugloſſa nuncupatur, receperint.

ERROR VII.

HAllucinātur noſtri temporis Medici, eo qūod herbam Eupatorium nominatam, pro Agrimonio recipiunt: at pro Eupatorio herbam uulgarem, de qua nulla apud priſcos fit mentio, ad uſum Medicinæ adhibent.

Fuerūt, & adhuc ſunt magnæ inter Medicos diſſenſiōes de Eupatorio & Argemone, quam corrupto uocabulo paſſim Agrimoniam nominant. Nam ex ueteribus quidam, quos Dioſcorides etiam notat, putauerunt Eupatorium eſſe ueram Argemonē, cum tamen ab Eupatorio in uniuerſum differret. Qui equidem error ad noſtra uſq; ſecula durauit. Herbam enim quæ uera eſt Eupatorium, omnes noſtræ ætatis Medici Agrimoniam eſſe credūt. Idq; uerum eſſe ex Eupatorij notis a Dioſcoride Lib. iiii. Cap. xxxviii. traditis, maniſeſtiſſime deprehendere licet. Quæ quidem tales ſunt. εὐπατώριον πόα ἐστὶ φρυγανώδης, ῥάβδον ἀναφέρουσα μί-
,, αν, λεπτὴν, ξυλώδη, ὀρθὴν, μέλαιναν, ἐνδασεῖαν, πηχυαίαν, ἢ καὶ μεί-
,, ζονα. φύλλα δὲ ἐκ διαστημάτων, ἐσχισμένα μάλιστά που εἰς έ. μοί-
,, ρας ἢ καὶ πλείους, τοῖς τοῦ πενταφύλλου ἢ κανάβεως μᾶλλον ἐοικότα·
,, αὐτὰ δὲ ὑπομέλανα πριονοειδῶς ἐξ ἄκρων ἐντετμημένα. σπέρμα
,, δὲ περιπέφυκεν ἀπὸ μέσου τοῦ καυλοῦ, ὑπόδασυ, κάτω νενευκὸς, ὡς καὶ

τοῖς

τοῖς ἱματίοις ἐνίχεσθαι ξηρανθὲν. Id eſt, Eupatorium herba eſt fruticoſa, ſingularis exit ex ea uirga tenuis, lignoſa, recta, nigra, piloſa, cubitalis & aliquando maior, folia habet per interualla partibus diuiſa quinqꝫ fere, aliquando tamen pluribus, Quinqꝫ folij Canabiſue folijs ſimilia. Nigricant, & hæc etiã ſerræ modo in extremitatibus inciſa. Semen fert medio cauli adnaſcens, in terram annuens, adeo hirſutum ut ueſtibus ſiccatum hęreat. Inſuper quia Plinij Lib. xxv. Cap. vi. deſcriptio omnino cum Dioſcoridis quadrat, proinde commodum duxi eandem huic ſubijcere, ait enim, Eupatoria regiam authoritatem habet, caulis lignoſi, nigricantis, hirſuti, cubitalis, aliqñ & amplioris, folijs per interualla quinque folij aut Canabis, per ambitũ inciſis quinqꝫ partito & ipſis plumoſis, radice ſuperuacua. Iam ſi ueritatis diligens indagator, eas notas Agrimoniæ noſtræ accommodauerit, huic certe in uniuerſum competere cõperiet. Eſt enim in ea ſingularis uirga, lignoſa poſtqꝫ aruit durities, plumoſa undiqꝫ aſperitas, color nigricans, & folia per interualla pendentia, ſerræ modo inciſa, adeo ut hanc eſſe uerã antiquorũ Eupatoriũ nemo niſi Leberide cæcior ſit, nõ intelligat. Minime autẽ mirũ recentiores Medicos ea in re eſſe lapſos, cũ enim Arabes ſequantur authores, eiſqꝫ in deſcribẽdis plantis fidẽ maximã adhibeant, qui & ipſi alius aliter de eadẽ re tradiderũt, facile illis errãdi anſam exhibuerũt. Auicenna nanqꝫ Eupatoriũ ſcribit eſſe herbam aromaticam, habereqꝫ folia Canabis, florem Nenupharis. Atquod aliam ab Agrimonia noſtra herbã eſſe Eupatoriũ ſignificet, quis eſt qui non agnoſcat? Conſtat enim herbam uulgo Agrimoniã nuncupatã neqꝫ eſſe odoratam, neqꝫ habere florẽ ſicuti Nenuphar, immo ita exiguũ, ut uel Nenuphari, uel eius flori collatus, nullam ipſius habeat ſimilitudinem. Meſue pręterea Eupatoriũ folijs Centaureæ minoris, floribus ſubcitrinis longitudinis paucæ conſtare, dicit. Quod certe tam ſimile uero eſt, q̃ Centaurij folia Canabinis, & ſubluteus color albo ſimilis eſt. Porro quod omnium maximum eſt, non ſine magna temeritate Meſue Eupatorio uim purgatoriam adſcribit, nullus enim ueterum nec Auicenna quidem, quicqꝫ tale, ne per ſomnium etiam, de eodẽ cogitauit. Immo Dioſcorides contrariã magis uim in eo prædicat dicens, σπέρμα δὲ ἡ πόα μετ᾽ οἴνου πινόμενα, δυσεντερικοῖς καὶ ἑρπετοπλήκτοις ὠφελεῖ. Quod eſt, Semen & herba ipſa cum uino pota, dyſentericis & morſis a ſerpentibus opitulantur. Hoc etiam Plini

„ us confirmat ſcribens, Semen Eupatorij dyſentericis in uino potũ
„ auxiliatur unice. Ex iſtis manifeſtum admodum eſt, Arabes Aui cennam maxime, qui & alias modicam ſimplicium medicamentorum habuit notitiam, atq; Meſuen, Eupatorium uerum nunq̃ cognouiſſe: atq; adeo nihil mirum ſi neq; eorundẽ imitatores. Proinde ſtudioſis in dies orandum eſt, ut bona fortuna in uerum peritumq; incidant authorem, quando Galeno Lib. iii. de Potentijs
„ naturalibus Cap. xiiii. teſte, in quemcunq; quiſpiam primum in
„ ciderit præceptorem, talis efficitur, non expectans aliquid aliud ab
„ eo quod didicit amplius addiſcere. Hinc tandem haud aliter q̃ Medicus ille olim Romanus omnia ſua ſorti committunt, monentes ægros ut precentur, quo Dij ſua cuiq; remedia ſecundet. Hoc profecto ſi Iuniores Medici animo uolutaſſent, exq; fontibus magis q̃ riuulis, bonis q̃ malis præceptoribus, Medicam artem hauſiſſent,
„ in eum errorem non incidiſſent, ut Eupatorio pro Agrimonia uterentur, ſed ueram magis Argemonem ad uſum Medicinæ accommodaſſent, cuius iam, quoniã prorſus ignota, omnis apud noſtræ ætatis Medicos uſus perijt.

ERROR VIII.

PErnicioſiſſime errant Medici, qui Auicennã ſequentes, Harmel non eſſe rutam ſylueſtrem opinantur, ſed in pilularum de hermodactylis ac fœtidarum confectionem cicutæ ſemen, quod nemo uenenum eſſe ignorat, huius loco admittunt.

Auicenna Fen vi. Cano. iiii. Tract. iii. Cap. xxxiii. hunc in modũ ſcribit, Ruta ſylueſtris nõ eſt Harmel, ut quidã exiſtimauerunt. Quæ ſane uerba non paucis errandi occaſionem præbuerunt, quod paſſim Harmel pro Cicuta interpretati ſunt. In quem etiam errorem interpres Auerrois quinto Colliget lapſus eſt, dum impudentiſſime Harmel cicutam interpretatur, non animaduertens quod eo loco Auerrois Harmel calidam & ſiccam in tertio ordine ſcribat, cicuta autem inter letalia uenena frigiditate ſua enecantia numeretur a Dioſcoride, Galeno, Plinio ac alijs. Dioſco
„ rides nanq; Lib. iiii. Cap. lxxiii. de Cicuta ita ſcribit. ἐστι δὲ τὸ
„ κώνειον τῶν φθαρτικῶν κατὰ ψύξιν ἀναιροῦν. Id eſt, Cicuta inter
„ letalia frigiditate enecans eſt. Galenus uero Libro de Simplicibus

medica

medicaminibus, ſemen Cicutæ præ omnibus alijs frigidiſſimum eſſe teſtatur. Plinius autem Lib. xxv. cap. xiii. de ea in hunc modum diſſerit, Semini & folijs cicutæ refrigeratoria uis, quæ ſi enecat, incipiunt algere ab extremitatibus corporis. Quare a tam craſſo errore nullo pacto uindicari poteſt interpres ille quiſquis tandem fuerit. At conniuendum erat, niſi is error etiam officinas nonnullas occupaſſet. Nam ijſce oculis Antidotarium uetuſtum admodum uidi, quo ad annos non paucos ad conficienda medicamina uſus eſt Pharmacopola quidam, in quo ſemper Harmel pro cicutæ ſemine interpretatum erat, nec animaduertit errorem donec per me tandem admonitus fuit. Quod uero Harmel non ſit ſemen Cicutæ, ſed ruta ſylueſtris manifeſtiſſime indicant ea quæ ſcribuntur a Dioſcoride Lib. iii. cap. xlix. de ruta ſylueſtri in hanc ſententiam, καλοῦσι δὲ τινὲς πήγανον ἄγριον ἅρμαλα. Quod eſt, Vocãt quidam agreſtem rutam Harmala. Itidem ſcribit Galenus Lib. vii. de ſimplicibus Medica. cap. CXIX. dicens, Rutam ſylueſtrem quidã appellant Harmala. His accedit quod deſcriptio Harmel apud Auerroim Cordubenſem in totum conuenit rutæ ſylueſtri. Ait enim Harmel calida & ſicca eſt in tertio ordine, incidit humores craſſos, prouocat urinam & menſes, ualet dolori coxendicum, & pituitam purgat. Has proprietates omnes Galenus maxime, Dioſcorides & Plinius Rutæ ſylueſtri tribuunt. Galenus enim libro de ſimplicibus medica. cap. CCxxiiij. de Ruta ita ſcribit, Vrinam & menſtrua prouocat Ruta, colicq; dolorem ſedat. Dioſcorides autẽ lib. iij. cap. xlix. ita inquit: Appoſita menſes & Vrinam cit, & cum uino pota, quartanas finit. Sanat agreſtis Ruta itidem coxendicis dolores quadraginta diebus pota. Auicẽna præterea ſecundo canone. cap. CCCxl. omnes prædictas commoditates Harmel adſcribit dicens, Eſt inciſiua & ſubtiliatiua, eſt bona dolori iuncturarum, & ſciaticæ cum deſuper linitur. Prouocat urinam & menſtrua, & confert colicæ uentoſæ. Proinde mirum eſt iſtorum deinde in quarto Canone non fuiſſe memorem. Inſuper cum Ruta ſylueſtris, ut ex ueterum teſtimonijs traditur, habeat uim incidendi & diſcutiendi lentos & tenaces humores in articulorum doloribus, certum eſt eam utilius adhiberi ad catapotiorũ de hermodactylis confectionem, q̃ cicutam: quando hæc ſua frigiditate eoſdem potius augere poſſit, q̃ tollere: illa uero ſua caliditate magis incidere atq; diſcutere, adeoq; uitium quod ex tenaciũ humorum multitudine prouenit, auferre. Accedit ijs, quod etſi

Galenus Lib. quinto de Simplicibus medicamentis probet quædam uehementer frigida hebetandi ſenſus gratia, ubi impatibiles crucient dolores: uſum tamen cicutæ in totum damnat, ut quæ non ſolum frigiditate, ſed etiam ſuperflua humiditate ſit pernitioſa. Nemo deniq; ueterum Cicuta aliter uſus eſt q̃ quod extrinſecus eam appoſuerit, nullus autem eorum intra corpus adhibere iuſſit. Id quod omnium maxime oſtendit Dioſcorides de Cicutæ uſu in eam ſcribens ſententiam. ἔστι δὲ πολύχρηστον εἰς τὴν ἰατρι
,, κὴν χρῆσιν. μιγνύμενον ἐπιτηδείως τοῖς ἀνωδύνοις κολλυρίοις ὁ χύ
,, λισμα. ἑρπητάς τε καὶ ἐρυσιπέλατα καταπλασθὲν σβέννυσιν. ἡ δὲ
,, πόα καὶ ἡ κόμη λεῖα καταπλαττομένη τῶν διδύμων ὀνειρώττουσι
,, βοηθεῖ: παρίησι δὲ καὶ αἰδοῖα καταπλασθέντα, καὶ γάλα σβέννυσι,
,, μαστούς τε ἐν παρθενίᾳ κωλύει αὔξεσθαι καὶ διδύμους ἀτρόφους ποιεῖ τῶν
,, παιδίων. Id eſt, Multos habet in medicina uſus. Collyriis quæ ſom
,, no dolorem leuant, commode miſcetur ſuccus. Extinguit idem ſa
,, cros ignes, & quæ ſerpunt. Quinetiam conciſa herba comaq; eius
,, mox teſtibus emplaſtri modo impoſita, nocturnas libidinum ima
,, gines in ſomno auertit. Languent genitalia emplaſtri modo im-
,, poſita. Lac extinguit, & in uirginibus mãmarum incremẽta com
,, peſcit, et puerorũ teſtes nutrimẽto augeri prohibet. Plinius quoq;, loco paulo ſupra citato, præter prædicta Cicutæ nihil tribuit, adeo ut ſatis iam conſtet Harmel non eſſe cicutam, ſed potius rutã ſylueſtrem. Caueant itaq; poſt hac medicinæ candidati, ne pro ſemine rutæ ſylueſtris cicutã, cuius ſucco Plinio lib. xxv. Cap. xiii. teſte olim Athenienſes ad mortem in publicis & capitalibus iudicibus utebantur, ad medicinæ uſum adhibeant. Non ſit, per Apollinem oro, tanti unus accentus, ut quum Harmel apud Arabes ſcribatur cum aſpiratione, ut quidam nugantur, ſignificet Cicutam: cum uero ſine aſpiratione, rutam ſylueſtrem: quãdo interdũ ex tantilla notula hominum uita periclitetur. Verum Harmel deſcriptio potius ad ueterum notas exigatur, ita enim mox apparebit eſſe rutam ſylueſtrem.

ERROR IX.

HAllucinatur Meſue plane pueriliter, Aloën mixtam melli minus purgare, eandemq; ſtomacho nocere aſſerens.

Meſue libro ſuo de ſimplicibus Medicamentis, Capite de Aloë̃ hanc ſcribit ſententiam, Aloë mixtum cum melle eſt minoris ſolutionis. Et paulo poſt, Et adhuc etiam eſt conturbatiuum, faciẽs dolorem uentris, & nocens ſtomacho. Imitatus eſt autẽ hoc loco, ut alias fere ubiq;, Auicennã, qui Lib. ii. Cap. lxvii. ita de Aloë ſcribit, Permixtio ipſius cum melle, minuit uirtutem eius. At nihil iſtis falſius dici potuiſſe, nemo, arbitror, ſanæ mentis eſt, qui non intelligat, quando ex diametro cum ueterum placitis, ratione denique & experientia pugnent. Quantum enim ad primum attinet, quis eſt qui neſciat melli ſuapte natura ineſſe uim ſubducẽdi uentrem? Et ut moroſis ueteris inſcitiæ propugnatoribus, qui ſua mordicus tenent, ſatisfiat, ecce id ueterum teſtimoniis comprobabimus. Hippocrates libro de morbis qui extra, de melle ita docet, Mel autem cum cæteris ſumptum nutrit, coloremq; bonũ facit, ſolũ uero potius emaciat q̃ reficiat, lotium enim cit, ſupraq; modũ purgat. Item Galenus lib. iii. de alimentis, Capite xxxviii. inquit, Mel habet quandam acritudinem, qua ad egeſtionem excitat uentrem. Dioſcorides etiam Libro. ii. Cap. lxxiii. ita ſcribit ἔστι μέλι δ' ὠμὸν, φυσῶδες, κοιλίας καὶ βηχὸς ἐρεθιστικόν. Quod eſt, Crudum mel inflat aluum, & tuſſim proritat. Paulus præterea Aegineta Libro .i. Cap. xcvi. ait, Mel coctum magis alit quam aluum ſubducat: non coctum, contra. Subſcribit Paulo Alexander Aphrodiſeus ſectione II. Proble. lxvi. inquiens, Mel incoctũ tergit & purgat, coctum alere tantum poteſt. Adde quod Paulus utitur etiã melle Cap. vi. adeĳciendã aluũ puerorũ, inquit enim, Porro ſi pueri aluus adſtricta fuerit, mel cibo adiectum dabis. Si itaq; mel ſe ſolo uentrẽ ſubducere poteſt, Aloe, cur non idem plus efficeret, additũ alteri quod ſimilẽ uim obtinet. Hinc eſt quod Pſellius libro primo de uictus ratiõe, in capite de iis quæ uentrẽ citant, Damaſcenis, itemq; aliis ut aluum plus ſubducant mel adĳci præcipiat. Ait enim, Damaſcena humida & arida melle confecta, madefacta, ut plus teneãt mellis, manſaq; ſolitaria. Si bis mellis compoſitio abſorbeatur, plus ſubducit q̃ ſi dulce uinum potites. Quod uero Aloë iuncta melli plus ſubducat aluum, teſtatur in primis Dioſcorides, ubi ſupra, ita ſcribens. μετὰ ῥητίνης δὲ καταπινομένη ἢ ὕδατος ἢ μέλιτος ἑφθοῦ ἀναληφθεῖσα κοιλίαν λύει. Hoc eſt, Cũ reſina aqua ue aut cocto melle excepta aluum pota ſoluit, Id quod Plinius etiam lib. xxvii. cap .iiii. confirmat dicens, Deuorantur pilulæ cum mellis decocto, aut terebinthina reſina, ad purgandã

Interiora. At quid opus in re manifeſta plus æquo uerboſum eſ-
ſe? Pergemus itaq; ad ſecundum, mõſtremusq; Aloën nõ obeſſe
ſtomacho, ut Meſue inſanit, ſed eundem magis roborare. Hoc
quod docet Galenus Lib. vi. de ſimplicibus medica. Cap. xxiii.
,, in eum modum ſcribens, Aloë eſt præ omnibus aliis medicinis
,, ſtomacho accommodata atq; utilis. Quod & Dioſcorides ſubſe
,, quentibus uerbis ſignificauit, μιγεὶς δὲ τοῖς ἄλλοις καθαρτικοῖς,
,, ἧσσον κακοςόμαχα ποιεῖ. Id eſt, Aloe mixta aliis quæ purgando
,, ſunt, minus noxia ea ſtomacho reddit. Prædictis ſubſcribit Oriba
,, ſius in Compendio medicinæ Cap. de Aloë inquiens, Aloë acutũ
,, quidem non eſt catharticum, ſtomacho autẽ aptiſsimum. Plinius
,, quoq; Lib. xxvii. Cap. iiii. ita ſcribens, Confirmat ſtomachum
,, Aloe, adeo ut nulla uis contraria infeſtet. Ex iſtis ſatis liquet quan
tum a uero aberrauerit in deſcribenda Aloë Meſue, cuius equidẽ
plura adhuc alia ſunt errata, quorum aliqua errore undecimo at-
tingemus.

ERROR X.

ERrant Medici, qui Caſſiam Græcorum, ab Ara bum ac recentiorũ diuerſam eſſe non intelligũt.

Caſſia qua noſtri paſſim nunc ad aluum leniendam utuntur, antiquis penitus incognita fuit: uel ſi cognita fuit, certe eam in medicinæ uſu non probauerunt, quando nullus aliquam de iſta mentionem faciat, ſed tantum de quadam ſpecie ligneæ, quæ σύριγξ id eſt, fiſtula ab eiſdem nominatur. Quapropter diligentius aduertendum, ne cum in libris Græcorum Caſſiam fiſtulam ſcriptum inueniemus, alteram putemus intelligi, de qua Arabes atq; recentiores loquuntur. In quem ſane errorem Leonicenus, uir dignus cui multum deferant bonarum literarum cupidi, in epiſtola ad Menochium, pleroſq; ex medicis iunioribus incidiſſe ſcribit, ſeq; cognouiſſe ait, qui cortice Caſſiæ fiſtulæ Arabicæ, ad citanda mẽſtrua utebantur, cum Caſſiam ligneam potius ad eundem uſum recipere debuiſſent, ex Dioſcoridis ac aliorum Græcorum medicorum authoritate. Et cum nullus ferme ſit Medicorũ qui non ſciat ligneam dictam, ab alia Caſſia arabica eſſe diuerſam, non neceſſariũ duxi plura de iſta re cõmentari. Si qui tamen forent, qui iſta non caperent, illi utriuſq; deſcriptiones conferant, & mox quod diximus deprehendẽt. Vnũ tamen, quod maiori reprehenſione dignũ eſt,

hic præ

hic præterire non potui, hoc ſcilicet. Non animaduertunt noſtri ſeculi Medici uulgarem noſtrã Caſſiam ligneam, a uera multum abeſſe, tetra enim eſt, inodora & penitus aſpernanda, immo nihil habet quare Caſſia putari debeat, id quod Dioſcoridẽ atq; Pliniũ legenti, remq; ipſam in manu habenti, facile cõſtabit. Dioſcorides etẽm Lib. i. Cap. xii. de eligenda uera ac optima Caſſia ita ſcribit. ἐκλέγου δὲ τὴν ἔγκιρρον, εὔχρουν, κοραλίζουσαν, στενὴν λίαν, μακρὰν καὶ „ παχεῖαν, τοῖς συριγγίοις πλήρη. δηκτικὴν ἐν τῇ γεύσει, καὶ στύφουσαν „ μετὰ πολλῆς πυρώσεως ἀρωματίζουσαν, οἰνίζουσαν τῇ ὀσμῇ. Quod „ eſt, Eligito rubeſcentem, amabili coloris bonitate præditam, co„rallio lapidi ſimilem, anguſtam ualde, longam craſſamq;, & fiſtu„lis plenam, erodentem in guſtu, & cum feruore aliquo adſtringẽ„tem, aromatum modo odoratam, uini odorem referentẽ. In eandam ſententiam & Oribaſius Lib. ii. de uirtute ſimplicium ſcribit. Eligenda Caſſia eſt quæ rubea eſt, boni coloris, corallio ſimilis, te„nuis, nitida, ualde longa & pinguis in fiſtulis, & in guſtu erodens, „ ſtiptica cum igne multo, uelut aromatum ſimilis odore. Vbi, ut „ obiter moneam, nõ dipticis legendum, ſed δηκτικὴ id eſt, erodẽs Nec diſſentit a dictis Plinius Lib. xii. Cap. xix. Adde q; Caſſia tenuitate corticis, odore, & guſtu adeo ſimilis eſt Cinnamomo, ut duplum eius Dioſcoride & Galeno libro de ſimplicibus medicamentis ad Paternianum cap. lxxiii. teſtibus, pro Cinnamomo poni poſſit, quorum certe nihil in Caſſia noſtra deprehenditur, adeo ut uix credibile ſit noſtrã hanc eſſe ueram Caſſiam, ſed eam magis quam Dioſcorides falſo Caſſiam appellatam eſſe ſcribit, mirę cum reliqua ſimilitudinis, quæ guſtu nec acri, nec odorato, inhærentemq; medullæ corticem habentem deprehenditur. At relinquimus iſta ueritatis exquiſitoribus diligentius penſitanda.

ERROR XI.

HAllucinatur Meſue in præſcribendo doſim Rheubarbaro, Epithymo, Scammoniæ, Polypodio atq; Euforbio.

Meſue in ſuo de ſimplicibus medicamentis libro Cap. de Rheubarbaro, potionem Rheubarbari infuſi eſſe ad decem uſq; drachmas, triti uero ad quatuor ſcribit, cum tamen Dioſcorides & Auicenna, cuius Meſue Simia eſt, duas drachmas non tranſcendant.

Dioſcorides nanq; Lib. iii. Cap. iii. de Rheubarbaro ita diſſerit,
„ δίδοται δὲ ὁμοίως τοῦ ἀγαρικοῦ πρὸς ἕκαστον πάθος, τῇ αὐτῇ ὁλκῇ.
„ Id eſt, Dabis autem Agarico ſimiliter in ſingulis morbis, eodem
pondere. Dandum uero de Agarico eſſe præcedenti capite non
ultra drachmas duas idem Dioſcorides præcipit. Auicēna deniq;
„ Lib. II. Cap. DLXXXV. inquit, Potio Rheubarbari ſit dra-
„ chmæ duæ. Itaq; cauendum eſſe ex iam dictis conſtat, ne Meſuen
ſequentes, ad decem uſq; drachmas ſemel exhibeamus, in quo cer
te nōnulli peccantes, ad extremum periculum ægrotātes deduxe
runt. Inſuper in capite de Epithymo, idem Meſue docet ſeptē dra
chmas pulueris Epithymi dari, cum tamen plus q; quatuor non
exhibēdas præcipiat Dioſcorides Lib. IIII. cap. CLXVIII de Epi-
„ thymo ita ſcribens. πινόμενον δὲ σὺν μέλιτι κάτω καθαίρει φλέγμα
„ καὶ χολὴν μέλαιναν, ἰδίως ἁρμόζον ἐπὶ μελαγχολικῶν καὶ ἐμπνευ
„ ματουμένων ὀξυβάφου πλῆθος πρὸς ὁλκὴν < δʹ σὺν μέλιτι καὶ ἁλσὶ
„ ὀλίγῳ ὄξει. Hoc eſt, Potum uero cum melle, pituitam bilemq; ni-
„ gram per inferna purgat, priuatim melācholicis & inflationibus
„ accommodatum acetabuli menſura uſq; ad drachmas quatuor cū
„ melle ſaleq; ex modico aceto. Idem etiam Oribaſius in Compēdio
„ medicinæ, docet ita ſcribens, Dabis cum uino duplici penſo dra-
„ chmas tres & adhuc amplius, & cū melle ſalis admiſcebis cochlea
„ rium medium. Conſentit Auicenna lib. ii. cap. ccxxix. inquiens,
„ Potio Epithymi ſit aurei quatuor. Quare iuxta ueterū præſcripta
de Epithymo plus q̄ quinq;, uel ad ſummum ſex, idq; in pauciſſi
mis non exhibeamus. Præterea in capite de Scāmonia, ultra gra-
na duodecim nō eſſe propinandum ex Scāmonia adſerit. At Dio
ſcoridis authoritate plus dare licet. Nam is ad obolos duos uſq; et
ad quatuor etiā accedit in eiuſdē exhibitiōe, lib. enim. iiii. cap. clxi.
„ de ſcāmonia hoc modo ſcribit. Δύναμιν δʹ ἔχει ὁ ὀπὸς ληφθεὶς σὺν
„ μελικράτῳ, ἢ ὕδατι πλῆθος < ἢ τεσσάρων ὀβολῶν καθαίρειν κάτω χολὴν
„ καὶ φλέγμα. εἰς δὲ τὸ λῦσαι τὴν κοιλίαν ἀρκέσουσιν ὀβολοὶ βʹ.
„ Quod eſt, Vim habet Scammonij liquor, ſumptus cum mulſa
„ aqua ſimplici ue aqua drachmæ aut obolorum quatuor pondere
„ per inferna bilem & pituitam purgare, ad ſoluendam uero aluum
„ ſatis ſunt oboli duo. Eſt autem obolus, ne quem uocabuli uis deci
„ piat, dimidius Scrupulus: atq; adeo Plinio lib. xxii. cap. xxxiiii.
„ quoq; ſubſcribente, oboli ſex, pondere drachmam atticam, qua

utuntur

utuntur Medici, efficiunt, hoc eſt, Scrupulos tres. Quod uerũ eſſe Q. Rhemnius lib. ſuo de ponderibus & menſuris iis carminibus manifeſte indicat. Semioboli duplum eſt obolus, quem pondere ›› duplo, Gramma uocant, Scrupulum noſtri dixere priores. Lap- ›› ſus itaq; eſt Angelus Politianus, uir multa facundia & acri iuditio praeditus, in ſuarum epiſtolarum Lib. x. Cap. xiii. de ponderibus in hanc ſententiam ſcribens, Minimũ pondus eſt, qui latine Scru ›› pulus, & idem graece ὀβολὸσ dictus. Nec enim obolus idem quod ›› Scrupulus, quando is ſola tertia pars ſit drachmae. Scrupuli enim tres drachmam unam cõſtituunt, obolus uero ſexta drachmae tan tum pars eſt, ut paulo ante ex Plinio monſtrauimus, proinde fieri non poteſt ut cum Scrupulo idem ſit. Sed ut redeamus eo unde digreſſi ſumus, Oribaſius etiam in Cõpendio medicinae drachmã integram Scammonij exhiberi poſſe aſſerit, ait enim: Pura autem ›› datur penſo drachma una. Et ſunt noſtro aeuo multi, qui ſcrupulũ integrum Scammoniae ſine noxa biberunt. A Sarmatis uero & Turcis modus etiam Dioſcoridis tuto exceditur. Haec ideo recen ſenda duxi, nõ ut Scythicis illis medicis, qui fortiſsimis pharma- cis aegros non paucos neci tradunt, patrocinarer: ſed ut haberent ueritatis Studioſi, ſi quando Meſue praeſcriptũ neceſſitate exceſſe- rint, quod aduerſarijs obtruderent. Caeterum Polypodij potionẽ ſcribit Meſue eſſe ad aureos quatuor uſq;. Verum nec ea in re obſe quendum ei eſt, ſiquidem integra untia per ſe parũ purgat, ut ex- perientia ipſa docet, ob id multa confutatione non eget. Praeterea Meſue in capite de Euphorbio ex Dioſcoridis authoritate ſcribit aureum unum Euphorbij interficere. Quo equidẽ in loco, ut alias ſaepe, in hoc uiro fides requiritur, nuſq̃ enim apud Dioſcoridem inuenitur, ut patet uniuerſum caput lxxxviii. lib. iii. de Euphor- bio percurrenti. Apud Paulum autem Aeginetam capite pro- prio reperitur drachma una pituitam & aquam educere. Et apud Oribaſium in Compẽdio medicinae idem docetur, triobolũ tamẽ tantum Euphorbij propinandum dicit. Triobolum autem, teſte Budaeo lib. v. de Aſſe et partibus eius, alio nomine hemidrachmiũ dicitur. Porro Auicenna ſecundo Cano. cap. ccxxxvi. non unũ aureum interficere ait, ſed magis drachmas tres. Auicenna quoq; Fen i. Cano. iii. tract. v. cap. vii. de Incubi cura, drachmae uni Eu phorbij, Scãmoniae tertiam partem drachmae, & quartã colocyn thidos adiungere docet, uirtute forti exiſtente. Quod iterum nõ

dico, ꝙ tantam quantitatē exhibendam ſuadeam, ſed ideo ne plus æquo timeant Medici, maxime ubi ueterum accedat authoritas.

ERROR XII.

IGnorāt noſtræ ætatis Medici, Meſuen Arabeſq; reliquos imitantes, quid ſit radix quam pro Turbit officinæ uendunt, tanta eſt in iis rebus, quæ ſunt in uſu frequentiſſimo, Medicorum incuria.

Annotādum eſt in primis authores Græcos de ea radice ſub nomine Turbit nihil penitus ſcripſiſſe. Barbara em̄ uox eſt Turbit, & a poſterioribus medicis quæcunq; ea ſit ſic appellata. Nam quod apud Dioſcoridem Lib. iiii. Cap. clvi. de Pityuſa hæc uerba græca inſerta ſunt, ἣν καλοῦσι τούρπιτ, Id eſt, Quam uocant turbit, id a poſterioribus factum eſt, & Dioſcoridi adiectū, ea enim in nullis ueteribus græcis aut latinis leguntur codicibus, nec etiam legi debent. Proinde cum græci nihil de ea certi tradant, neceſſe eſt noſtræ ætatis Medici eius radicis deſcriptionem ab Arabis petant. Quod et ſi tentauerint, nō eſt tamē ꝙ certi quicq̄ de ea radice apud eoſdem offendere queant, quando quid per Turbit intellexerint difficile, imo ferme impoſſibile, fuerit diuinare. Aliud enim de ipſo ſcribit Serapio, aliud Meſue. Serapionis equidem hæc de Tur
,, bit uerba ſunt, Turbit eſt planta quæ in littore maris naſcitur, in lo
,, cis ſcilicet quæ mare cooperit quando creſcit: quādo uero eſt tran
,, quillum non tangit ea, non enim naſcitur intra aquam nec procul
,, ab ea. Habet folia ſimilia foliis plantæ quæ dicitur Araſatis, (quā
,, uis hoc uerbum corruptum ſit ac pro eo legēdum Iſatis) niſi quia
,, ſunt craſſiora. Habet ſtipitem duobus palmis longum, diuiſum in
,, ſummitate. Flos eius mutat colorem ſuum ter in die, quia mane eſt
,, albus, & meridie declinans ad purpureum colorem, in ueſperis
,, uero fit rubeus. Radix uero eius odorifera eſt, & alba, quæ quan
,, do maſticatur calefacit linguam. Quod ſi uerum hoc eſt Turbit a Serapione Mauritano deſcriptum, certe nihil a Tripolio differt,
,, nam omnia quæ Serapio de turbit ſcribit, ea Dioſcorides ac Plini
,, us Tripolio tribuunt. Dioſcorides nanq; lib. iiii. cap. cxxvi. de Tripolio ita diſſerit. Τριπόλιον φύεται ἐν παραθαλασσίοις τόποις, οὓς ἐπικλύζει ἡ θάλασσα καὶ ἀποχωρεῖ, οὔτε δὲ ἐν ξηρᾷ οὔτε ἐν θαλάσσῃ.

φύλλα

φύλλα δὲ ἔχει ἰσάτῃ παραπλήσια, παχύτερα μέντοι· καυλὸν σπιθαμιαῖον, ἄνωθεν ἐσχισμένον. ταύτης ἱστορεῖται τὸ ἄνθος τρὶς τῆς ἡμέρας μεταβάλλειν τὸ χρῶμα, πρωῒ μὲν λευκόν, κατὰ δὲ τὴν μεσημβρίαν πορφυρίζον, ὀψὲ δὲ φοινικοῦν. ῥίζα λευκή. εὐώδης, θερμαντικὴ γευομένῳ. Id eſt, Tripoliū naſcitur maritimis locis, quo fluctus peruenit & regreditur, nō tamen in arida neq; in mari. Folia habet Iſatidi ſimilia, craſſiora tamen. Caulem dodrātalem in ſummo ſe diuidentem, Fertur flos eius ter quotidie mutare colorem. Matutino enim albet, Meridie purpureſcit, Veſpere puniceo colore fit. Radix illi eſt candida, odorata, guſtu feruida. Plinius uero lib. xxvi. cap. vii. Tripolium in hūc modum depingit, Tripolium in maritimis naſcitur locis, ubi allidit unda, neq; in mari, neq; in ſicco, folio Iſatidis, craſſiore, palmo alto, caule in mucrone diuiſo, radice alba, odorata, calida guſtu. Hinc Pandectarij deprehenditur error, qui in ſuis Pandectis, multa mendatiorum plauſtra continentibus, duo facit capita, unum de Tripolio Dioſcoridis, alterum uero de Turbit Serapionis, quaſi Turbit apud Serapionem ſit aliud a Tripolio Dioſcoridis. Verum Serapionis Turbit, quod idem eſt, ut iam oſtendimus, cum Tripolio Dioſcoridis, non eſſe Turbit quo nunc paſſim officinæ utūtur, ex eo manifeſtum fit, quia radix Tripolij ſecundum Dioſcoridem & Pliniū odorata eſt: qua uero nos utimur pro radice Turbit, ea omnino odore caret, proinde Serapionis Turbit eſſe non poteſt. Quod autē Turbit Meſue non ſit Tripolium apud Dioſcoridē, adeoq; diuerſum ab eo quod Serapio deſcribit, facile ex eiuſdem uerbis animaduerti poteſt. Inquit enim, Turbit eſt radix herbæ cuius folia ſunt, ſicut folia ferulæ, minora tamen, & eſt ex habentibus lac. Horum nanq; nihil in Serapionis Turbit deprehendere licet. At nec Turbit deſcriptio, ſecundum Meſue, ex genere habentiū lac conſtare poteſt. Nam ſi uera eſſet, conſequeretur Turbit a Meſue deſcriptum uel eſſe aliquam ſpeciem Tithymalorum, uel radicem Pityuſæ, quorum tamen neutrum aſtrui poteſt. Sunt etenim ſeptem Tithymalorum ſpecies, Dioſcoride Lib. iiii. Cap. clv. teſte, ſed nulla earum eſſe poteſt Turbit a Meſue pictum. Siquidem nulla ex illis habet folia ſimilia ferulæ, qualia habet Turbit Meſues, ut conſtat ex Dioſcoride ſingulas Tithymalorum ſpecies per folia, ac flores, & reliquas notas deſcribente. Neq; Turbit a Meſue deſignatū Pityuſæ lactariæ herbæ radix dici poteſt, folio enim piceæ

conſtat, non ferulæ: quemadmodum ex lib. iiii. cap. clvi. Dioſco-
„ ridis liquet, cuius de Pityuſæ hæc ſunt uerba. ἀνίησι δὲ καυλὸν πή-
„ χεως μείζονα, πολυγόνατον, φυλλαρίοις ὀξέσι λεπτοῖς, κατειλημμέ-
„ νον, ἐμφερέσι τοῖς τῆς πίτυος. Quod eſt, Caulem ex ſe mittit cubito
„ maiorem, multis geniculis interſectum, acuminatiſq; foliolis ue-
„ ſtitum, piceæ ſimilibus. Nec diſſentit Plinius Lib. xxiiii. Cap. vi.
„ dicens, Pityuſam quidam in Tithymali genere numerant, frutex
„ eſt ſimilis piceæ. Accedit iis q haec radix Pityuſæ non Turbit a Se-
rapione, ſed Scebram, id eſt, Eſula nuncupatur: id quod palam
fiet cõferenti ea quæ Serapio de Scebram ex Dioſcoridis authori-
tate ſcripſit. Quod ſi uero quis contendat Turbit a Meſue deſcri-
ptum eſſe poſſe uel Lathyrin uel Peplion, quãdo & illas inter lacta-
rias herbas cõnumeret Dioſcorides, is ſciat neutrum fieri poſſe,
cum utriuſq; radix a Dioſcoride cenſeatur inutilis. Videant iam
ueritatis amatores quot difficultates, & quidem inexplicabiles oc-
currant Medicis, Arabum placita ſectantibus, hi enim non mo-
do a Græcis, ſed a ſe ipſis quoq; diſſentiunt. Proinde, ſi ueritatem
rimari animus eſt, omnino ſatagendum ut folium uiride inſpicia-
tur, & an ſit folio Iſatidis, aut ferulæ ſimile: uel etiam neutro, dili-
gentius conſideretur. Scribit autem Ioannes Manardus, exacti iu-
dicij uir, primo ſuarum Epiſtolarum libro, ſe a fide dignis intelle-
xiſſe, q ea radix qua pro Turbit utimur, ex planta accipiatur, quæ
folio Myrti conſtet. Quod ſi uerum eſt, certe ſecunda Tithymalo-
„ rum ſpecies erit. Hæc enim ut ſcribit Dioſcorides τὰ φύλλα ὅμοια
„ ἔχει μυρσίνῃ. Id eſt, folia habet Myrto ſimilia. Clarum itaq; ex iam
dictis utroſq;, & Serapionem & Meſuen, aberraſſe. Plura ea de re
legito apud Leonicenũ in Epiſtola ad Hieronymum Menochiũ.

ERROR XIII.

ERrant Medici, qui Arabum authorũ Sandaracã, a Græcorũ eſſe diuerſam nõ animaduertũt.

Arabes uniuerſi Sandaracam eſſe gummi ſcribunt, quod alio
nomine Vernix appellatur. Id quod in primis Serapio indicat ita
„ ſcribens, Sandaraca eſt gummi calidæ & ſiccæ cõplexionis, & eſt
„ ſimile Karabe, ſed non eſt ita durum, & in eo eſt parum amaritu-
„ dinis, & affertur a terris Chriſtianorum. Græci contra & Latini
per Sandaracham lapidem metallicum intelligunt. Fuitq; quon-
dam

dam Græcis & Latinis ſcriptoribus duplex Sandaracha. Metallica pluribus locis foſſilis, Galeno enim Libro de ſimplicibus Medicamentis ad Paternianum Cap. cxxxix. teſte, affertur a Ponto, Cappadotia, & Cilitia, & eſt lapis ignei coloris. Plinius quoque Sandaracham lib. xxxiiii. cap. xviii. inter Metalla cõnumerat dicens, Inuenitur & in aurarijs & in argẽtarijs Metallis, melior quo magis ruffa, quoq; magis uirus redolens, ac pura friabiliſq;. Dioſcorides etiam Lib. v. Cap. lxxvi, inter metalla de Sandaracha agens, hunc in modum inquit, Σανδαράχην δὲ προκριτέον τὴν κατακορῆ πυῤῥὰν εὔθραυστον, λεαντόν τε καὶ καθαρὰν, κινναβαρίζουσαν τὴν χρόαν, ἔτι δὲ θειώδη ἀποφορὰν ἔχουσαν. Id eſt, Eligenda Sandaracha eſt, quæ ad ſatietatem flammeo colore ruffeſcit, fragilis, plana, puraq;, & cinnabaris colore aliquo, ſulphuris etiam uirus olens.' Altera deinde fictitia & adulterina Sandaracha eſt, quæ ex cocta ceruſſa fit, qua fœlicius pictores q̃ medici uſi ſunt. De qua Plinius Libro quinquageſimo quinto, Cap. vi. ita ſcribit, Fit adulterina & ex Ceruſſa, in fornace cocta. Et Victruuius ſeptimo ſuæ architecturæ commentario, Ceruſſa, inquit, cũ in fornace coquitur, mutato colore ad ignem incendij Sandaracha fit. Lapſos itaq; arbitror Arabes, ꝙ Sandaracam eſſe gummi putauerunt, cũ eandem ueteres omnes inter lapides metallicos connumerarint. Id quod ex eo etiam colligi poteſt, Arabes omnes uires quas Priſci ueræ Sandarachæ, quæ metallum eſt, tribuunt, ſuæ quoq;, quæ Gummi eſt, adſcribunt, quod fieri non poſſet ſi diuerſæ eſſent. Vix enim duas res inuenies quarum uirtutes ex æquo ſibi conueniẽt. Quod autẽ Arabes eaſdem, quas Græci ſuæ Sandarachæ tribuerint, facile oſtendemus ex his quæ utriq; de ea ſcripſerunt. Inter Græcos autem Dioſcorides hæc tradit de Sandaracha. δύναμιν δὲ ἔχει καὶ ὁπλῆκσιν τὴν αὐτὴν τῷ ἀρσενικῷ. θεραπεύει δὲ καὶ ἀλωπεκίας ἀναληφθεῖσα ῥητίνῃ, καὶ λεπροὺς ὄνυχας σὺν πίσσῃ ἀφίστησι, καὶ πρὸς φθειριάσεις σὺν ἐλαίῳ ποιεῖ, φύματά τε σὺν στέατι διαφορεῖ. ἁρμόζει καὶ δὲ πρὸς τὰ ἐν ῥισὶ καὶ στόμασιν ἕλκη, καὶ πρὸς τὰ λοιπὰ ἐξανθήματα σὺν ῥοδίνῳ, καὶ πρὸς κονδυλώματα. δίδοται καὶ ἐμπυϊκοῖς σὺν οἰνομέλιτι, καὶ ὑποθυμιᾶται σὺν ῥητίνῃ καὶ πρὸς παλαιὰν βῆχα, διὰ σίφωνος ἑλκομένου τοῦ ἀτμοῦ τῷ στόματι. φωνήν τε ἀποκαθαίρει ἐκλειχομένη σὺν μέλιτι, καὶ ἀσθματικοῖς σὺν ῥητίνῃ καταπότιον δίδοται. Id eſt, Vires cocturamq; eaſdem Auripigmento

» habet. Reſina excepta capilli defluuia ſanat. Cum pice ſcabros pel
» lit ungues, pediculoſis ex oleo prodeſt, panos cum adipe diſcutit.
» Narium & oris ulceribus accommodata eſt, & cum Roſaceo cæte
» ris puſtulis & condylomatis. Datur & contra purulentas excrea-
» tiones cum mulſo, & contra ueterem tuſſim, cum reſina incēditur
» per fiſtulam uapore eius in os attracto. Vocem purgat cum melle
» lincta, & ſuſpirioſis cum reſina deuoratur. Eadem uero inter Lati
nos Plinius, ubi ſupra, de Sādaracha quoq; ſcribit, inquiens, Va
» let purgare, ſiſtere, excalfacere, perrodere. Summa eius dos ſepti
» ca. Expletalopetias ex aceto illita. Additur oculorum medicamē
» tis. Fauces purgat cum melle ſumpta. Vocem lympidam & cano
» ram facit. Suſpirioſis tuſſientibuſq; iucunde medetur, cum reſina
terebinthina in cibo ſumpta. Iam iſtis Arabum de Sandaraca pla-
cida confer, & nihil quod a prædictis pugnet offēdes. Sed ne plus
æquo uerboſior ſim, unus Auicēna, qui Lib. II. Cap. DCXXVII.
» de Sandaracha in hanc ſententiam ſcribit, ſufficiat, In ipſa eſt ſtipti
» titas & proprietas retinendi ſanguinem. Deſiccat fiſtulas quando
» cum ea ſuffumigátur. Eius fumus prohibet catarrhos. Fluxum de
» niq; ſanguinis & aſthma humidum ſua exiccatione ar..et. Vtūtur
» ea luctatores, ut difficultatem anhelitus non incurrant. Quare, ut
finem tandem faciam, erraſſe Arabes uериſimile eſt, Sandaracam
gummi ſtatuētes, cū ex ueterū decreto potius lapis ſit metallicus.

ERROR XIIII.

HAllucinantur Medici Iuniores, Theriacā, nobile antidotum, non a feris, ſed Tiro nuncupantes, cuius etiam cum certa nō habeatur ſcientia, nihil mirum, ſi eos non præſtet effectus, quos de ea ueteres pollicentur.

Frigidum plane eſt Barbarorum commentum Theriacam nō ἀπὸ τῶν θηριῶν, Hoc eſt, a feris, cōtra quorum uenena exhibetur, aut quæ in eiuſdem compoſitione miſcentur, ſed a Tiro ſerpente, quem huic antidoto addere oporteat, nomen traxiſſe. Frigidius autem multo eſt q̃ Nicolaus ac eius imitatores eandem Galenen a Galeno Medico dictam exiſtimant, quum potius, teſte Galeno in ſuo de Theriaca ad Pamphilianū libro, a tranquillitate quā ægris afferre ſolet, ſic nominata ſit, γαλήνη enim Græcis trāquillitas eſt.

Verum

Verum ad iſta tanq̃ leuioris operæ cõniuendum erat, niſi maiora in huius antidoti compoſitione errata cõmitterent. Nam neq; ſerpentem illum norunt, quem Tirum uocant, neq; pleraq; alia, quæ in eadem cõpoſitione iungũtur. Eum enim ſerpentẽ ex Aegypto uſq; petunt, cum tamen in media ipſa Italia magna eius copia reperiatur. Neq; enim Tiri nomen in libris Arabum aliud ſignificat, q̃ eam ſerpentis ſpeciem, quã Græci ἔχιδναν, nos uiperam appellamus. Adeoq; uidẽtur Arabes, quod nomẽ eſt generis apud Græcos, tribuiſſe ſpeciei. Cum enim uipera θηρίον, id eſt, feræ ſpecies ſit, Arabes tamen Viperam pro Therio tirum, corrupto uocabulo appellarunt. Qui em̃ a Galeno trochiſci ſiue paſtilli Theriaci nũcupãtur, qm̃ in ipſis Theriæ, ideſt Viperę, que e genere ferarũ ſunt commiſcentur, ab Nicolao in deſcriptione Theriaces Andromachi trochiſci Tiri appellantur. Quod uero nihil aliud in libris Arabum ſignificet Tirus q̃ uiperam, uel eo potiſſimũ argumento ꝓbatur, q quæcunq; Serapio de Tiri carne conſcripſit, & q̃ nam modo ad uſum medicinæ paretur, et quos nam præſtet effectus, hæc omnia a Dioſcoride, Galeno & Paulo de uipera ſerpente traduntur. Proinde mirum admodum eſt multos noſtri ſeculi Medicos, hæc uaria in diuerſis interpretamenta parum diligẽter intuentes, quum aliquando Tirum, aliquãdo uiperam in medicorum libris lectitarent, non nominum tantum, ſed animalium quoq; diuerſitatem eſse exiſtimantes, alios trochiſcos e Tiro, alios e uipera credidiſse: Tirumq; eſse peregrinum ſerpentem, qui apud Aegyptios tantum reperiatur, atq; adeo nõ aliunde q̃ ex Memphi optimam ad nos Theriacam apportari, arbitratos eſse. Cũ tamen, ut paulo ſupra annotauimus, paſſim in Italia reperiatur Tirus ſeu uipera, uulgoq; dicatur, Maraſsus, quæ certe nomenclatura nec barbara eſt, nec citra rationem excogitata. Quippe a Marſorum populis interpretatione etymologica duci nomen uidetur, quia id genus maxime cõſectarẽtur Marſi, circunferrẽtq;. Quod ne quis cõfictũ nullo authore arbitretur, indicat equidem id Aulus Gellius Lib. xvi. Noctium atticarũ cap. xi. dicẽs, Gens in Italia Marſorum orta fertur a Circes filio Marſo, propterea Marſis hominibus, quorũ dũtaxat familia cum externis cognatiõibus nõdum etiam permixtæ corruptæq; ſunt, ui quadam genitali datum, ut ſerpentium uirulentorum domitores ſint, incenſionibus herbarũq; ſuccis faciant medelarũ miracula. Plinius quoq; lib. 17. ca. 2 author eſt Marſos a

Circes filio ortos, ob idq́ affuiſſe illis ingenitam uim contra ſerpē
tes. Quod idem innuit & Virgilius lib. vii. Aeneid. iis uerſibus.
,, Quin & Marruuia uenit de gēte Sacerdos, Fronde ſuper galeam,
,, & felici comptus oliua, Archippi regis iuſſu fortiſſimus Vmbro,
,, Vipereo generi & grauiter ſpirantibus hydris, Spargere qui ſom
,, nos, cantuq́ manuq́ ſolebat, Mulcebatq́ iras, & morſus arte le-
uabat. Syllius quoq́ Italicus libro octauo de Marſis ita loquitur,
,, Hæ bellare acres norāt, ac Marſica pubes, Et bellare manu, & Che
,, lydris cantare ſoporem. Vipereumq́ herbis hebetare & carmine
dentem. Lubēs hic prætereo errores Auicēnæ quos in Theriaces
deſcriptione cōmiſit, ſicut eſt ꝙ bis repetit Centaurium, ac Penta-
phyllon prætermittit, de quibus omnibus, ſi placet, Nicolaū Leo-
nicenum, uirum in omni doctrinarum genere exercitatiſſimum,
legito. Nos in præſentiarum hoc ſolum demonſtremus, ꝙ noſtra
ætate ueræ Theriaces nō habeatur certa cognitio, quando multa
exiſtant ſimplicia medicamenta, ad eiuſdem compoſitionem ne-
ceſſaria, quæ noſtro hoc æuo neq́ a Græcis, neq́ a Latinis, nedū
a Barbaris cognoſcantur. Quemadmodum ſunt Balſamus, Myr
rha, Rheon, Amomum, Cinnamomum, Caſſia, Schœni anthos,
Dictamnum, Petroſelinon, Scordion, Thlaſpi, Hedychroum Ma
lagma, quod Alindaracaron Arabes uocant. Aſpalathon, Cala-
mus odoratus, & alia multa. Primū oīm uerum Opobalſamū uel
ad nos nō afferꝛ: uel ſi adferꝛ, tanti precij exiſtit, ut totius antidoti
precium pręuertat. Duodecim enim drachmas, præter id quod in
Hedychroo apponi debet, tota Andromachi compoſitio recipit,
ut uidere licet apud Galenū libro de cōmoditatibus Theriaces ad
Piſonem. Vix etiam credibile ſyncerum & recens ad nos aſporta
ri, quādo Dioſcoride & Galeno teſtibus muluſariam adulteretur
balſami liquor. Argumento eſt, quoniam is qui ad nos affertur, co
lore, odore, ſubſtantia, longe a uero diſtat. Quod mox cōperiet,
qui eundem cum Dioſcoridis aut Galeni deſcriptione contulerit.
Inſuper non optima tātum, uerum etiam bona Myrrha caremus.
Nam quæ paſſim Myrrhæ loco habetur, nō uidetur eſſe uera, nō
enim odorata eſt, ut ea quam Dioſcorides Lib. i. Cap. lxxv. de
ſcribit, ſed pro odoris ſuauitate teterrimū uirus obolet. Rheubar
barum porro noſtrum ab eo quod Antiqui deſcripſerunt eſſe di
uerſum errore tertio oſtendimus. Verum Amomū, hoc eſt quale
,, Dioſcorides deſcribit Libro primo Cap. xiiii. λευκὸν ἢ ὑπέρυθρον.
,, σπέρματος πλῆρες, ὅμοιον βοτρυδίοις, βαρὺ, σφόδρα εὐῶδες, δίχα
εὐρώτου

εὐρῶτος, καὶ δριμὺ, δάκνον τὴν γεῦσιν, ἁπλοῦν τὴν χρόαν καὶ οὐ ποι- ››
κίλον. Id eſt, candidum, modice ruffum, ſemine plenum, uua- ››
rum racemis ſimile, ponderoſum, ualde odoratum, ſine Carie, ››
acre, guſtum erodens, ſimplici non uario colore, nō arbitror eſſe ››
quod paſſim in officinis uendunt. Præterea Manardus, uir non ››
uulgariter doctus, lib. vi. ſuarum Epiſtolarū medicinalium, con tendit id quod paſſim ex India, præcipue a Luſitani regis claſſe in Europam inuehitur, non eſſe uerum Cinnamomum: idq; Galeni dictis ex Lib. de ſimplicibus medicamētis oſtendere conatur. Cuius nimirū ſententiæ ut non prorſus accedo, ita nec in uniuerſum repugno. Nam Dioſcoridem expendenti facile animū ſubit opinio, ex tot generibus Cinnamomi non optimum ad nos aſportari, maxime ſi quis noſtrum cum eo quod bonitate alia omnia antecedit, cōmiſerit. Cæterū Caſſiam, qua nunc officinæ utuntur, non eſſe ueram quam Dioſcorides, ac alii ueteres deſcribūt, oſtenſum eſt errore decimo. Idem quoq; in Schœni flore, quem noſtri barbaro uocabulo Squinantum uocant, accidit. Nam qui paſſim in officinis proſtant, feſtucæ magis ſunt q̄ flores. Lemnia etiam terra ſiue ſigillata, quæ paſſim uenditur, nec facie nec uiribus ueræ ſimilis exiſtit, quæ debet eſſe rubri coloris, mūda non ualde lenis, guſtu non mordax, ſed modicæ aſtringens, tenax aliquo modo & lubrica, ita ut in aqua reſoluta, ſimilis fiat molli ceræ. Portatur ex Lemno inſula Græciæ, a qua Lemna uocata eſt, formulis paruis, quæ antiquitus, teſte Galeno lib. ix. cap. ii. de ſimplicibus medicamentis, imagine Dianæ ſigillabantur, unde & Lemnum ſigillū a Grecis appellatur. Commentitium uero eſt quod Dioſcorides Lib. v. cap. lxvii. ſcribit incolas eam terram in paſtillos cōformātes figura capræ ſignare. Nam Galenus cum aliarum rerum quæ ſunt in medicinæ uſu, tum huius præſertim terræ ſigillatæ diligentiſſimus ueſtigator: ut qui, quemadmodum de ſe ipſo ſcribit, lōgis itineribus ad Lemnam inſulam nauigarit, ob nullam aliā cauſſam, niſi ut Lemnium & quomodo naſceretur, & quale nam eſſet, oculis contemplaretur, Dioſcoridē nominatim perſtringit, ſignariq; Dianæ, non capræ ſigno a Sacerdote eius hanc terram adſerit. Falſum etiam eſt quod tradit idem Dioſcorides Lemniæ terræ caprinum miſceri ſanguinem, id quod Galenus eodem etiam loco docet. Proinde Galenus Dioſcoridi in Lēniæ terræ hiſtoria per omnia fere contrarius eſt. Verū Galeno tanq̄ oculato teſti ea in re magis q̄ Dioſcoridi accedendū eſt. Dictamno inſuper omnino ca-

,, remus. Dioſcoride nanq; teſte Lib.iii.cap.xxxiii. δίκταμνος πόα
,, ἐστὶ κρητικὴ δριμεῖα, λεία, ὁμοία γλήχωνι. μείζω δὲ καὶ γναφαλοει
,, δῆ τὰ φύλλα ἔχει. Ἐριώδη τινὰ ἐπίφυσιν οὔτε δὲ ἄνθος οὔτε καρ
,, πὸν φέρει. Quod eſt, Dictamnus herba eſt Cretenſis ſapore acri,
,, habens leuorem ſimilis Pulegio, maioribus tamen foliis, tomen-
,, toſis lanoſaq; pube obductis. Non florem, non ſemen fert. Acce
dit Plinius qui Lib.xxv Cap. viii. de Dictamno in hunc modum
,, ſcribit, Dictamnũ oſtẽdere, ut indicauimus, uulneratæ, eo ſtatim
,, decidentibus telis. Non eſt alibi q̃ in Creta, ramis prætenue, Pule
,, gio ſimile, feruens & acre guſtu, foliis tantum utuntur. Flos nul-
,, lus ei eſt, aut ſemen, aut caulis, radix tenuis & ſuperuacua. Cum itaq; ex ueterum deſcriptione uera Dictãnus flore, caule, et ſemine carere debeat, noſtra hæc uulgaris qua paſſim utimur, iſtis maxime abundat. Radicem item tenuem & inutilem cum uera habeat: noſtra cõtra magnã, et quę ad uſum ſola, neglectis foliis, uenit: quę equidem imponenda theriacæ eſſent, non radix. Deniq; cũ Dictãnus in Creta priuatim naſcatur, ut præter Dioſcoridem & Pliniũ, xii. Aeneidos Virgilius quoq; ita canens indicat, Tum Venus in-
,, digno nati cõcuſſa dolore, Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab
,, Ida, Puberibus caulem foliis, & flore comantem, Purpureo: nõ
,, illa feris incognita capris. Gramina cum tergo uolucres hæſere ſa
,, gittæ, non eſt certe q̃ eandem habeamus niſi rurſus Venus ab Ida deportet. Porro plures quoq;, ne dicam omnes noſtræ ætatis Medici, Petroſelinũ opinantur eſſe id genus herbæ, quod ubiq; ferme in hortis naſcitur. Qua in re oſtendunt uulgarem ſe potius quandam habere herbarum notitiam, q̃ eam quam Dioſcorides, Galenus ac reliqui ueteres medicæ rei authores ſuis in libris, poſteris reliquerunt. Nã Petroſelinũ, ut Lib.iii.Cap.lxxi Dioſcorides ſcribit
,, φύεται ἐν μακεδονίᾳ, ἐν ἀποκρήμνοις τόποις, σπέρμα ἔχον ἐοικὸς
,, ἄμμι, εὐωδέστερον δὲ καὶ δριμὺ καὶ ἀρωματίζον. Id eſt, naſcitur in
,, Macedonia præruptis locis. Semen habet Ammi ſimile, odorati-
,, us tamen acre & aromatiſimile. Id quod & Galenus libro ſuo de ſimplicibus medicamentis ad Paternianum cap.ccxx. indicat di-
,, cens, Petroſelinum naſcitur circa ſaxa, & optimum eſt Macedonicum. Proinde eius ſemen quod miſcendum theriacæ iuſſit Andromachus, non eſt id quod paſſim in hortis naſcitur, ſed quod in Macedonia præruptis & ſaxoſis locis producitur. Acceſſit iis omnibus error uulgatiſſimus, ut quoniam Scorodon ſignificat apud

Græcos

Græcos alliũ, pro Scordio alliũ ſylueſtre, non modo in Theriaca, ſed & in pluribus aliis compoſitionibus, accipiant: adeoq; factũ ut non ſolum herbam ipſam Scordion uocatam amiſerimus, ſed etiam uocis ipſius ſignificatum, allium ſylueſtre eius loco, nominis ſimilitudine decepti, accipientes. Verum, aliud eſt σκόροδον ἄγριον, id eſt, Allium ſylueſtre, aliud σκόρδιον herba, quæ ut Dioſcorides Lib. iii. cap. cxvii. ſcribit, φύεται ἐν ὀρεινοῖς τόποις καὶ ,,
ἑλώδεσι, φύλλα ἔχον ἐοικότα χαμαίδρυϊ, μείζονα δὲ καὶ οὐκ οὕτως ,,
ἐντετμημένα τὴν περιφέρειαν, ποσῶς τῇ ὀσμῇ σκορδίζοντα, συπτι- ,,
κὰ δὲ ἐπίπικρα κατὰ τὴν γεῦσιν. καυλία δὲ καὶ τετράγωνα, ἀφ' ,,
ὧν ἄνθος ὑπέρυθρον, δύναμιν δ' ἔχει ἡ πόα θερμαντικήν, διουρητικήν. ,,
πινομένη χλωρὰ λεία, καὶ ξηρὰ ἀφεψομένη σὺν οἴνῳ πρὸς ἑρπε- ,,
τῶν δήγματα καὶ θανάσιμα. Hoc eſt, Naſcitur in locis montanis & ,,
paluſtribus, folia habẽs ſimilia Chamædryi, minora tamen, nec a ,,
deo per ambitũ inciſa, aliq̃ modo allii odorẽ referẽtia, adſtringen- ,,
tia & amara ad guſtũ. Virgulas quadratas, in quibus ſubrubeſcẽs ,,
flos eſt. Vim habet herba calefaciẽdi ac urinã ciendi. Potať & ſicca ,,
in uino decocta cõtra ſerpentium morſus ictus ue ac contra uene ,,
na. De hac eadẽ herba Galenus quoq; lib. de ſimplici. medica. ad
Paternianum ita ſcribit: Scordium herba eſt, uirgulas producens ,,
quadratas, rectas & oblongas, folia adſtringentia, & ad guſtum ,,
ſubamara, odore Allium referentia, flore ſubrubicundo. Vires ,,
habet calefaciendi & urinã ciendi, ac contra uiperarum ictus. Hãc ,,
pariter herbam idem Galenus Lib. viii. de ſimplicib. medic. Cap. xvii. inter cæteras quæ putrefactionibus aduerſantur, cõmendat. Hinc eſt, quod a grauiſſimis ac fide dignis Medicinæ authoribus ſcribitur Scordii tantam eſſe uim, ut cum corpora eorũ qui in prælio ceciderant, diu inſepulta iacere contigiſſet, quæcunq; ſors tulit, ut ſupra Scordium iacerẽt, diutius incorrupta manerent, minuſq; q̃ reliqua putredinem ſentirent, ſecundum eas præcipue partes, quæ herbam ipſam attigerant. Vnde creditũ eſt eandem uenenis ferarum ac peſtiferis medicamentis, quæ uim putrefaciendi habẽt, uehementer repugnare. Thlaſpi noſtro ſeculo penitus incognita eſt, quamuis Ioannes Manardus Lib. vi. ſuarum epiſtolarum medicinalium apud Ioannem Auguſtum Laurienſem Epiſcopum ſibi compertam eſſe herbam ſcribat, quam ueram eſſe Thlaſpi exiſtimet, quando in totum Dioſcorides Lib. ii. Cap. cxxxxii. notis

,, correſpondeat, βοτάνιον γάρ ἐστι στενὸν τοῖς φύλλοις ὡς δακτύλου μῆ
,, κος, πεπτωκόσιν ἐπὶ τῆς γῆς, ἀκροσχιδέσιν, ὑπολιπαρέσι. καυλὸν
,, δὲ λεπτὸν ἀνίησι διπιθαμιαῖον, ἀποφυάδας ὀλίγας ἔχοντα, καὶ περὶ
,, ὅλον αὐτὸν καρπὸς ὑπόπλατυς ἐξ ἄκρου. ἐν ᾧ σπερμάτιον ἐμφερὲς
,, καρδάμῳ, δισκοειδές. οἱονεὶ ἐντεθλασμένον ἐξ οὗ καὶ τοὔνομα ἔσχηκεν·
,, ἄνθος δὲ ὑπόλευκον. ἐν ὁδοῖς καὶ τοιχῶν καὶ τῶν θειγκῶν φυόμενον. σπέρ
,, μα δριμύ. Quod eſt, Herbula enim eſt foliis anguſtis ad digiti lon
,, gitudinem, in terram cadentibus, in ſummo ſciſſis, ſubpinguibus.
,, uirgam tenuem duorum palmorum emittit, adnaſcentias paucas
,, habentem, & circa totam ipſam fructus in ſummo modice latus,
,, in quo exiguum ſemen eſt naſturtio ſimile, diſci figura, ueluti in-
,, fractum, unde & nomẽ inuenit. Flos illi ſubalbus, naſcitur in uiis,
,, ſepulchris, ſepibuſq;. Semen illi acre eſt. Eaſdem notas tribuit &
,, Plinius Thlaſpi Lib. xxvii. Cap. xiii. dicens, Thlaſpe duum gene
,, rum eſt, anguſtis foliis, digitali longitudine & latitudine in terram
,, uerſus, in cacumine diuiſis, cauliculo ſemipedali, non ſine ramis,
,, peltarum ſpecie, ſemine incluſo, lenticulæ effigie, niſi quod infrin
,, gitur unde nomen flos albicat. Naſcitur in ſemitis & ſepibus. Se-
,, men aſperi guſtus. Galenus quoq; Lib. de ſimpli. medica. Cap.
cclxxx. nihil a prædictis diſſentit. Auicenna uero in deſcriptione
Theriaces Andromachi, nõ ſine magno errore, ꝓ nomine Thla-
ſpeos, ſiſeleos ſcripſit. Porro Trochiſci Hedychroi, qui in eadem
Theriaces compoſitione iungũtur, corrupto uocabulo trochiſci
Alindaracoron ab Auicenna quinto ſui Canonis dicuntur: a Ni-
colao autem Trochiſci diacoralli, demutato iiſdem hedychroi uo
cabulo in diacoralli. Nicolaus nanq; cui ſumma atq; præcipua æta
te noſtra in deſcribendis medicaminum compoſitionibus ſides ad
hibetur, hac uocabuli deprauatione deceptus, pro Daiſiſaban,
quod idem eſt apud Arabes quod Aſpalathus græcis, ponit coral
los, cum tamen longe alia res ſit a corallis, id quod græce Aſpala-
thus uocatur, quemadmodum ex Dioſcoridis Lib. i. Cap. xviiii.
deſcriptione conſtat, quæ talis eſt, ἀσπάλαθος θάμνος ἐστι ξυλώδης
,, ἀκάνθαις πολλαῖς κεχρημένος. γινόμενος ἐν ἴστρῳ καὶ νισύρῳ καὶ συ
,, ρίᾳ καὶ ῥόδῳ. ᾧ χρῶνται οἱ μυρεψοὶ εἰς τὰς τῶν μύρων στύψεις. ἔστι
,, δὲ καλὸς ὁ βαρύς, καὶ μετὰ τὸ περιφλοιωθῆναι ὑπέρυθρος ἢ πορφυρί
,, ζων, πυκνός, εὐώδης, πικρίζων ἐν τῇ γεύσει. Id eſt, Aſpalathus fru

tex eſt

tex eſt lignoſus, crebriſq; ſpinis aculeatus. Naſcitur ad Iſtrum & in Niſyro, in Syria & Rhodo, quo ad ſpiſſanda unguenta utuntur unguentarii. Probatur ponderoſus, & qui detracto cortice rubeſcit, ad purpureũ ue uergit, denſus odoratuſq; eſt, & in guſtu amareſcens. Ex his colligitur Aſpalathum diuerſum eſſe a Corallis, errareq; eos, qui, ut ij. Canon. refert Auicenna, radicem ſpicæ Indicæ Aſpalathum eſſe putauerũt, quiq; malum Punicum ſylueſtre, qui Spinam albam, & qui Cinnamomum eſſe dixerunt. Deniq; hallucinatur Auicenna loco prædicto, ut obiter & id indicem, ubi loco Aſpalathi ponit ſemen Aliembut, id eſt, Chylocaractæ. Galenus etenim, cui hac parte magis quã Auicennæ credendum, pro Aſpalatho nõ ſemen Chylocaractę, ſed agni caſti, ut uulgo uocãt, in ſuis ſuccidaneis recipi adſeruit. Poſtremum, quod uulgus medicorum calamum aromaticum uocat, radix eſt, non calamus, adeo ut dubium non ſit, eum calamum non eſſe, quem Dioſcorides libro primo, cap. xvij. deſcribit iis uerbis. κάλαμος ἀρωματικὸς φύεται μὲν ἐν ἰνδίᾳ. ἔστι δὲ αὐτοῦ κάλλιστος ὁ κιῤῥὸς, πυκνογόνατος, καὶ εἰς πολλοὺς σκινδαλμοὺς, ἐν δὲ τῇ διαμασήσει γλίσχρος, στυπτικὸς, ὑπόδριμυς. Hoc eſt, Calamus odoratus in India naſcitur. Probatiſſimus eſt, qui colore ruffo & crebris geniculis eſt, & in multas aſſulas fractus, ſecundum fiſtulam araneis plenus, albeſcens, & in commanducando glutinoſus, adſtringens, & ſubacer. At ſatis de iis dictum eſt. Iam ſi, ut ſcribit Galenus in libro de Theriacæ compoſitione ad Pamphilianũ, unius medicaminis adulterati uitium poteſt totam Theriaces ſtructuram corrumpere, qui nos ſperare poſſimus eandem mixturam optime confici, ubi maxima ac præcipua ſimplicium medicaminũ, quæ in ipſa iunguntur, pars ignoratur? At eius ignorantiæ nulla alia cauſa, niſi quod a Græcis ad Arabum barbarorumq; lupanaria defecimus. Cum itaq; hi, qui Arabum placita ſectantur, in magna caligine rerum uerſentur, facileq; infinitis errorum nexibus implicentur, cogitent ſtudioſi, ut a fontibus potius Græcis, q̃ Arabum lacunis medicinã hauriant.

ERROR XV.

ERrant, qui antiquorũ Saccharum, quod ab eo quod nũc uoce parum mutata, Zuccharum uocant, diuerſum eſt, a ſale Indo differre exiſtimant.

Saccharum antiquorum eſt id, quod Dioſcorides, Galenus ac Plinius deſcribit, ſpeciem mellis eſſe dicentes, & ob eam etiā rem de eo inter mella loquuntur. Dioſcoridis autem hæc de Saccharo lib. ij. cap. lxxiij. ſunt uerba, καλεῖται δέ τι καὶ σάκχαρον εἶδος ὂν μέλιτος ἐν Ἰνδίᾳ πεπηγότος καὶ τῇ εὐδαίμονι Ἀραβίᾳ. εὑρισκόμενον ἐπὶ τῶν καλάμων. ὅμοιον τῇ συστάσει ἁλσί. καὶ θραυόμενον ὑπὸ τοῖς ὀδοῦσι καθάπερ οἱ ἅλες. Id eſt, Vocatur & quoddam Saccharum, quod mellis genus eſt in India, feliciq; Arabia concreti. Inuenitur id in harundinibus concretione ſua ſali ſimile, & ſub dentibus inſtar ſalis confringitur. Galeni uero lib. vij. de ſimplicibus medicamentis, cap. xcvij. de Saccharo hæc eſt ſententia, Saccharum aūt uocatū ex India fœliciq; aſportatur Arabia, in harundinibus concretum, eſtq; mellis ſpecies. Hactenus Galeni uerba recitauimus. Plinius etiam lib. xij. cap. viij. de Saccharo ſcribens, nihil a ſuperioribus uariat, eius hæc ſunt uerba: Saccaron & Arabia fert, ſed laudatius India. Eſt autem mel in harundinibus collectum, gummium modo candidum, dentibus fragile. Ampliſſimū nucis auellanæ magnitudine ad medicinæ tantum uſum. His quoq; ſubſcribit Alexander Aphrodiſieus lib. ij. problem. lxxiiij. ita inquiens, Quod Saccar Indi appellant, mellis coagulum eſt, ſole cogente ros res, conuertenteq; ad mellis dulcedinem, quod idem monte etiam Libano fieri certum eſt, fit Saccar id proximum ſalis glebulis candidum, fragile, uim id quoq; tergendi purgandiq; melli ſimilem habet. Saccharon uero hoc antiquorum nihil differre a ſale Indo, in primis oſtendit Archigenes, antiquiſſimus medicinæ profeſſor qui id Indicum ſalem, & harundineū mel uocauit. Paulus itidem Aegineta libro ſecundo, Saccharū ſalem Indum nominat, ait em̄, καὶ ἅλς ὁ ἰνδικὸς χροιᾷ μὲν καὶ συστάσει ὅμοιος τῷ κοινῷ ἁλὶ γεύσει δὲ μελιτώδης. Hoc eſt, Et ſal Indicus colore quidem & concretione communi ſali ſimilis, guſtu autem melleus. Hoc idem Auicenna quoq; iiij. Canon. capite de aſperitate linguæ febricitantiū ſcribit, inquiens: Teneat in ore ſalem qui ab Indis deportatur, colore ſalis, dulcedine mellis. Cur autem Saccharū ſalem Indum nominarint, nulla alia cauſſa eſt, q̄ quod ſua cōcretione ſali ſimile ſit, candoremq; ac friabilem in eo ſiccitatem, & cum diluitur humore aliquo, liquefactionē, quæ in ſale ſunt, una hac ſimilitudine oſtendat. Dictū eſt & hoc Sacchari genus, quod ex India fœliciq; Arabia portabatur, Candum, quia nimia ſolis excādeſcentia multum obduruerat

obduruerat

obdurucrat. Eſt autem ſal Indus, ſeu Saccharum Candum, aliud a Zuccharo noſtro Candi atq; Taberzeth. Nam Zuccharum Taberzeth noſtro tempore non portatur ex India, ſed ex Zuccharo noſtro quater uel quinquies excocto, lucelli maioris corradendi gratia, ſeplaſiarii Veneti facere didicerunt, harundines quoq; immittentes, ſupra quas uideri poſſit conglobatum, & goſapio inuoluentes, ut naui ex orientalibus regionibus inuectum putetur. Ita etiam noſtrum Zuccharum Candi res factitia eſt, cuius materia eſt Zuccharū album. Proinde errant Auicennæ expoſitores, Gentilis Herculanus, & alii, per ſalem Indum Zuccharum Candi intelligentes, nam præter hoc quod non eſt naturale, ſed factitiū, etiam colore non eſt album, uerum potius ſubluteum. Candum autem naturale, antiquis Saccharum nominatum, in fœlici Arabia, ut diximus, & India tantum in harundinibus, maioribus fruſtis, maioriq; duritia, ob uehementiores radios ſolis, aptioraq; ad id tolerandum harundinum folia, coagulatur. Eſt uero Saccharū hoc antiquorum a Zuccharo noſtro diuerſum. Nam res Zuccharum a noſtris dicta, nihil aliud eſt, q̃ ſuccus a proprii generis planta bene contrita expreſſus, calore ignis plus minus ue excoctus, coactus ac defecatus, in Zuccharū tanto candidius & durius euadens, quanto plus concoctionis defecationisq; tolerauerit. Et ut Iohannes Manardus, acerrimi iuditii uir, in ſuarum Epiſtolarum medicinalium libro ſecundo, ſe a Luſitanis & Siculis cognouiſſe ſcribit, planta, a qua Zuccharum exprimitur, humectis locis proprio ſemine ſeritur, exteriore quidem ſpecie arundini magnæ ſimilis, interiore ſubſtantia ualde diſſimilis. Pulpoſa enim eſt, grauis, mollis, & ſucci plena, quum arundo econtrario ſit leuis, dura, uacua. Quare ſi iſta cum antiquorum Saccharo contuleris, nihil quod eidem conueniat, deprehendes. Nam cum antiqui omnes Saccharum ſuum, ut paulo ante diximus, mellis materiam ac rorem eſſe fateantur, certe ab eo tam differt Zucchari materia, quā planta differt ab aqua. Forma deniq;, quam illi adſcribunt, minime huic noſtro congruit. A Dioſcoride enim ſalibus, quo ad conſiſtentiam concretionem ue ſimile, ac dentibus, ſalis inſtar, perſringi dicitur, & a Plinio gummi modo candidum. Noſtrum uero, priuſquā coquatur, colore potius nigricans, & ſubruffum, q̃ candidum inuenies: nec dentibus fragile, ſed per ſuctum, nō per dentium attritionem deglutiendum. Efficiens quoq; noſtri primū eſt forma ipſa plantæ; ſecundum artifex calore ignis coquens & de-

ſecans, & demum in hanc, quam uidemus, metæ formam in ligneis quibuſdam uaſculis deducẽs. Antiquorum autem Saccharum noctis primo frigus adglutinat, dehinc ſuperueniens ſolis calor obdurat. Noſtrum etiam plantæ pulpa in Siciliæ & Canariæ inſulis continet, effigie tantum arundini ſimilis. Illud ſupra arundinis ueræ folia in India fœliciq; Arabia, & monte Libano, teſte Galeno, libro tertio de alimentis, cap. xxxviij. & Alexandro Aphrodiſieo, coagulatum inuenitur. Noſtrum gulæ proceribus ſuauiſſimas dapes miniſtrat, illud ad medicinæ tantum uſum, Plinio ſcribente, uenit: & ut docet Dioſcorides, ἐυσόμαχον, id eſt, uentriculo bonum exiſtit. Noſtrum potius pectori q̃ uentriculo utile experimur. Illud poſtremũ non ſiticuloſum, teſte Paulo, ſicut mel: noſtrum uero non minorem ſitim q̃ mel facit. Quis eſt iam, qui Saccharum antiquoꝝ, & Zuccharũ noſtrũ eſſe res diuerſas ambigat? quando forma, materia, efficiente, loco, uiribuſq; longe euarient.

ERROR XVI.

LApſi ſunt Auicenna & Serapio, herbam ex qua fit Ladanum, uel ut barbari uocant, litera addita Laudanum, Ciſſi, id eſt, hederæ ſpeciem dicentes.

Auicenna ij. Canon. cap. CCCCxxxij. de Laudano ſic ſcri-
,, bit: Laudanum eſt humiditas pendens in pilis caprarum paſcen-
,, tium, & barbis earum, cum paſcũt plantam, quæ nominatur Cu-
,, ſus. Quibus ſane uerbis Auicenna innuit, Laudanũ eſſe ſpeciem
Cuſi, id quod & cap. Clxxiij. manifeſtius indicat, dum inquit:
,, Et una quidem ſpecierum eius eſt, quæ nominatur Laudanum.
Cuſum autem Auicenna corrupto uocabulo pro Ciſſum poſuit, Miſcuit autem & hoc capite Auicenna Hederæ uires cum alterius herbæ, quæ Ladanum fert, uiribus, id quod perſpicuum erit, hoc caput de Cuſo conferenti cum capite de Ciſtho apud Dioſcoridem. Serapio quoq; haud aliter q̃ Auicenna de Laudano ſcribit,
,, dicens: Laudanũ colligitur ex una ſpecie Ciſſi. Ex quibus etiam uerbis manifeſto deprehendimus, eundem perinde ac Auicennã Hederæ naturam, quæ Græcis κισσὸς dicitur, nõ ſatis cognouiſſe: nec enim a Ciſſo, hoc eſt, Hedera, Ciſthon herbam Ladaniferam ſecernere potuerunt, ſed nominis uicinitate decepti, quæ Ciſtho debentur, una tantũ mutata litera, ad Ciſſon tranſtulerunt. Nam

pingue

pingue illud, quod a Lada herba, quæ Græcis etiã κίσθος dicitur, Ladanum nuncupatur, barbis hircorum adhæreſcit, nõ de Ciſſo ſiue Hedera, ſed de Ciſtho, quemadmodum Dioſcorides, Galenus, Paulus, & alii ueteres uno conſenſu tradunt, colligitur. Dioſcorides enim libro primo, cap. cxix. de eo in hunc modũ ſcribit:
ἔστι δὲ καὶ ἕτερον εἶδος κίσθου, καλούμενον ὑπ' ἐνίων λῆδον. θάμνος »
κατὰ αὐτὰ τὰ φυόμενος τῷ κίσθῳ, μακρότερα δὲ τὰ φύλλα ἔχει καὶ »
μελάντερα, λιπαρείας τινὰς κατὰ τὸ ἔαρ ἐπισπώμενα, ὧν φύλλων »
ἡ δύναμις στυπτικὴ καθέστηκε, ποιοῦσα πρὸς ὅσα καὶ ὁ κίσθος. γίνεται δὲ »
ἐξ αὐτοῦ τὸ λεγόμενον λάδανον. τὰ φύλλα γὰρ αὐτοῦ νεμόμεναι αἱ αἶ- »
γες καὶ οἱ τράγοι τὴν λιπαρείαν ἀναλαμβάνουσι τῷ πώγωνι γνωεί- »
μως, καὶ τοῖς μηροῖς προσπλαττομένην διὰ τὸ τυγχάνειν ἰξώδη, ἣν »
ἀφαιροῦντες ὑλίζουσι καὶ ἀποτίθενται ἀναπλάσσοντες μαγίδας. »
Id eſt, Eſt & alterum genus Ciſthi, quod Ladon a quibuſdam dicitur, frutex Ciſtho ſimiliter naſcens, longiora tantũ nigrioraq; folia habet, quibus per uer pinguitudo quædam, quæ adſtringẽdo ſit, inhæret, omnibus quibus & Ciſthus accommodata. Fit ex eo Ladanũ, folia eius paſcentes hirci capræq; pinguitudinẽ barbis & femoribus, quoniam uiſcoſa ſit, inhærentem reportant, quam depectentes per colum liquant, ſeruantq; in offas conformatam. Galenus etiam lib. vij. ſimplicium medicamentorum, cap. xxvij. ita de Ciſtho ſcribit: Ciſthos in calidioribus quidem locis generatur. Fit autem ex eo Ladanum medicamentum. Accedit Paulus Aegineta, qui non aliter q̃ prædicti de Ladano diſſerit, cuius hæc ſunt uerba, λάδανον ἀπὸ κίσθου τῆς λάδονος λεγομένης γίνεται. ἔστι δὲ ἐν Κύπρῳ. Hoc eſt, Ladanum ex Ciſtho, quam Ladona uocant, fit, eſt uero in Cypro. Iam conſyderandum, quo pacto fieri poſſet ut ex Hedera colligeretur, fieret ue Ladanum, quando in Cypro inſula, ſi Theophraſto grauiſſimo authori credimus, nec Hedera quidem naſcatur. Eſt igitur Ciſthos uel Lada, ſiue Ledon, non autem Ciſſos, id eſt Hedera, cuius flore depaſto, Ladanũ hircorum barbis adhæreſcit. In hoc equidem errore, quemadmodũ in multis aliis, fuit author pandectarum, qui uolens forte Auicennam tueri, Hederæ nomen aliquanto etiam, q̃ cæteri, fuſius accepit, adeo ut omnem herbã, qua capræ libenter ueſcerentur, ab edendo Hederam appellari poſſe, non tam docte q̃ ſtulte arbitratus ſit. In eundem errorem incidit & Plinius, utriuſq; enim hiſtoriam confun-

dam, hæc Ciſſo tribuit, quæ Ciſtho Dioſcoridis ac reliquorũ probatiſſimorũ teſtimoniis conueniunt. Plura ea de re offendes apud Nicolaum Leonicenum, nunquã laudatæ eruditionis hominem, in eo libro, quem de Plinii erroribus ædidit.

ERROR XVII.

HAllucinatur Auicenna, qui Sucutũ Semperuiuam, aut ſpeciem Mandragoræ, ſecundum duas opiniones, utranq; tamen falſam interpretantur, cum tamen nihil aliud ſit, q̃ id quod antiquitas Symphytum petræum nominauit.

„ Auicenna ſecundo libro ſui uaſti canonis, cap. DCxv. ait:
„ Semperuiua eſt Sucutum. Et cap. Dxlij. dicitur, quod Sucutum
„ eſt Semper uiua, & dicitur, quod eſt ſpecies ſeminis Mandragorę,
„ & dicitur aliud. Ex quibus ſatis conſtat, ignoraſſe Auicennã, quid eſſet Sucutum, nam uarias de eo ſententias afferens, uni præ aliis nõ inhæret, ſed ſolum refert alios exiſtimaſſe, quod eſſet Semperuiua, alios Mandragoræ cuiuſdam ſemen, alios aliam rem, nihil tamen interim certi in re tam dubia pronuncians. Id quod fecit quoq; Fen x. Canon. iij. Tractat. iiij. cap. vi. de ſputi ſanguinis
„ curatione in hanc ſententiam ſcribens: Sucutum eſt Semperuiua
„ & ſcripſit uir quidam in ſuis aggregationibus eſſe calamenti ſpeci
„ em, naſcentem inter lapides. Quid, quæſo, certi ex ambigua illa deſcriptiõe uenetur medicæ profeſſionis ſtudioſus? Ah reſipiſcãt tandem, qui Auicennam ſibi tanquã idolum erexerunt, quiq; ab eo diſſentire, piaculum ducunt, cognoſcantq; non ſolum in hoc authore omnia dubitatiõibus eſſe plena, ſed & omnes eius libros, ſecundum præſertim, in quo de ſimplicibus medicinis tractat, innumeris ſcatere erroribus, quorũ magnam partem hoc libro attingimus. Sucutum uero neq; eſt Semperuiua, neq; ſemen Mandragoræ, neq; ſpecies calamenti, ſed eſt Dioſcoridis ac aliorum ueterum Symphytum, id quod dilucidum admodũ erit, ſi quis Auicennæ caput de Sucuto, cũ capite Dioſcoridis de Symphyto comparauerit. Auicenna nanq; Sucutum in hunc modum deſcribit:
„ Sucuti duæ ſunt ſpecies, una petræa dicta, alia non petræa. In ipſa
„ eſt humiditas calida temperata, & tenuitas, habens odorẽ & dul-
„ cedinem quandam, cuius aqua ſaliuam attrahit, & conglutinat

partes

partes carnis in uaſe. Dioſcoridis uero lib. iiij. cap. x. hæc de Symphyto uerba, σύμφυτον πετραῖον φύεται ἐν πέτραις. κλωνία δὲ ἔχει ὅμοια ὀριγάνῳ λεπτά. φύλλα κεφάλια δὲ ὡς θύμου. τὸ δ' ὅλον ἐστὶ ξυλῶδες καὶ εὐῶδες, γλυκύ τε πρὸς τῇ γεύσει, καὶ πτυέλου προκλητικόν. ῥίζαν δὲ ἔχει μακράν, ὑποπόρφυρον, ὅσον δακτύλου πάχος. τὰ κρέα δὲ συμπέττει ἑψόμενα σὺν αὐτοῖς. Id eſt, Symphyton cognomento petræum, naſcitur in petris, ramulos habet Origano ſimiles, graciles, folia capitula, ut Thymi, totum eſt lignoſum & odoratum, dulceq; guſtu, & ſaliuam prouocans. Radicem habet longam, ſubrufam, digitali craſſitudine. Carnes etiam, cum coquuntur, cõſtipat. Haud aliter Plinius lib. xxvij. cap. vi. Symphyton depingit. Alum, inquit, nos uocamus, Græci Symphyton petræum, ſimile cunilæ bubulæ, foliis paruis, ramis tribus aut quatuor a radice, cacuminibus Thymi, ſurculoſum, odoratum, guſtu dulce, ſaliuam ciens, longa radice, rutila, naſcitur in petris, ideo petræum cognominatum. Radix carnes, cum coquũtur, conglutinat addita. Ex iſtis iam luce meridiana clarius eſt, Sucutum cum Symphyto idem eſſe: utriuſq; enim deſcriptiones conueniunt, adeoq; erraſſe Auicennam, certum eſt, eo quod Sucutum idem quod Semperuiuũ eſſe dixit, quando Sucuti deſcriptio nihil commune habeat cum Semperuiui deſcriptione, ut conſtat cap. lxxxi. lib. iiij. Dioſcoridis de Aizoo ſeu Sedo maiore legenti: uerum ſingula eius deſcriptionis Symphyto magis, quam Conſolidam uulgo uocant, conueniunt, quã uel Semperuiuo, Mandragoræ, aut Calamento, ut ex eorundem deſcriptionibus, quas conſulto præterimus, eluceſcet.

ERROR XVIII.

LApſi ſunt Auicenna, Meſue, Serapio, ac Arabes fere omnes, quod Mezereon, quæ Græcis Chamelæa uocatur, inter lactariorum genera poſuerunt, multaq; huic, quæ Chamæleoni debentur, nominis uicinitate decepti, tribuerunt.

Primum omniũ, ut errorem hunc probe conuincamus, Arabum deſcriptiones more noſtro præmittamus, ex quibus liquido monſtrabimus, eoſdem toto cœlo erraſſe. Inter Arabes autẽ Aui

,, cenna lib. ij. cap. CCCClxvij. de Mezereon in hunc modum ſcri
,, bit: Mezereon eſt lacticinium magnum, quod eſt duorum modo
,, rum, unum eorum eſt, magna habens folia & ſpiſſa, & hoc eſt de-
,, terius amborum: & quod nigrum eſt, perniſioſum exiſtit. Melius
,, Mezereon eſt, in quo ſunt folia plurima, & ſimilia foliis oliuæ, &
,, ſubtiliora. Eſt acutum excoriatiuum, & eius acrimonia eſt uehe-
mens. Meſue uero in ſuo de ſimplicib. medicam. libro ita tradit.
,, Mezereon eſt planta, uocata apud Perſas rapiens uitam, cuius fo
,, lia ſunt ſimilia foliis oliuæ, ſed maiora. Eſt & planta lacticiniorum
,, maiorum, cuius ſpecies ſunt plures. Eſt enim quædam magna ha
,, bens folia, & ſubtilia. Eſt & parua habens folia ſicut folia oliuæ,
,, & ſpiſſa nimis: & eſt folia habens criſpa & aſpera: & ex eis aliud
,, eſt colorem habens uiridem, & aliud habens colorem ſubnigrũ.
Serapioni per omnia ferme cum prædictis conuenit, niſi quod ex
genere lactariarum herbarum non facit. Ex quibus collige primũ
plantam, quæ ab Arabibus Mezereon nominatur, Græcis eſſe
eam, quam Chamelæam uocant, ut conſtat, conferenti caput de
Chamelæa apud Dioſcoridem, cũ iis, quæ de Mezereon ex Ara-
bum ſententia iam retulimus. Dioſcoridis enim lib. iiij. cap. clxij.
,, de Chamelæa hæc ſunt uerba, χαμελαία κλῶνας μὲν ἔχει σπιθα
,, μιαίους, ὁ δὲ θάμνος φρυγανώδης. φύλλα ἔχει ἐλαίᾳ παραπλήσια,
,, λεπτότερα δὲ καὶ πυκνὰ ἢ πικρὰ, δάκνοντα τὴν γεῦσιν, καὶ χαράτ
,, τοντα τὴν ἀρτηρίαν. Quod eſt, Chamelæa dodrantales habet ra-
,, mulos, frutex ſurculoſus, folia habet oleæ ſimilia, tenuiora tamen
,, & frequentia, amara, guſtũ erodentia, & ſcarificantia fauces. Hæc
omnia Arabes ſuo adſcribunt Mezereon, adeo ut nullus, niſi tal-
pa cæcior ſit, non uideat Mezereon Arabum, eſſe Græcorũ Cha-
melæam. Quæ ideo hoc nomen apud Græcos ſortita eſt, quia ha
bet folia ſimilia oliuis. Secundo ex Arabum deſcriptionibus colli
ge, Auicennam & Meſuen in duplicem incidiſſe errorẽ. Primus
eſt, quod Mezereon inter lactaria connumerant. Secundus, quia
Chamæleonem herbam cum Chamelæa ſiue Mezereon confun-
dunt, quarum tamen non modo nominum, ſed etiam naturæ ra-
tio diuerſa eſt. Non eſſe autem Mezereon inter lactarias herbas
collocandũ, ex Dioſcoride in primis manifeſtum fit, qui ſuæ Cha
melææ nihil tale tribuit. Præterea ſi herba eſſet ex habentibus lac,
aliquam eſſe ſpeciem Tithymalorũ cõſequeretur, aut aliam quan-
dam lactariam herbam, quorum tamen neutrum recte dici poteſt,
ut conſtat

ut conſtat ex Dioſcoride, ſingulas Tithymalorum ſpecies, ac herbas reliquas lactarias deſcribente. Quod uero multa Mezereon ſeu Chameleæ tribuerint Arabes, quæ magis Chamæleoni conueniant, probari poteſt ex his, quas ipſi ſuo Mezereon adſcribunt proprietatibus. Nam quod primum plures eiuſdem faciunt ſpecies, album aliquod eſſe dicentes, aliquod uero nigrum, hoc nihil ad Mezereon attinet. Nigrum enim & album non ſunt Mezereonis, id eſt, Chamelææ fruticis differentiæ, ſed Chamæleonis herbæ aculeatæ, cuius duo quidem genera, alterum albi, alterum nigri diſcrimine non modo a Dioſcoride, ſed etiam a Plinio diſtinguitur: immo ab ipſo quoq; Serapione, qui poſtea in alio loco & capite diuerſo de Chamæleone albo & nigro eadem fere ſcribit, quæ de ambobus Dioſcorides: neq; tamen meminit ſe de eiſdem herbis, capite de Mezereon feciſſe mentionem, cuius tamen ſimplex ſpecies eſt ſecundum Dioſcoridem, Plinium ac Paulum, qui omnes Chamæleonem album & nigrum ſui generis herbas fecerunt, a Chamelæa, id eſt, Mezereon differentes. Hunc eundem errorem repetens Auicenna ij. Canon. cap. CCClxxvij. Chamæleon, inquit, eſt ſpecies de Mezereon nigra, mortifera. Idem inſuper Auicenna capite de Mezereon, proprietates eius enarrans, in hanc ſcribit ſententiã: Omẽs ſpecies adminiſtrant ad Morpheam, et albaras, et ad lentigines linitæ exterius, & quandoq; admiſcetur ei ſulphur. Colluitur os cum decoctione eius, & proprie decoctionis nigri, & ſedatur dolor dentis. Quæ ſingulæ proprietates a Dioſcoride libro tertio, capite decimo, nõ Chamelęæ, ſed Chamæleoni nigro tribuuntur. Eius enĩ de Chamæleone hæc ſunt uerba, δύναται δὲ ἡ ῥίζα λεία μιγέντος αὐτῇ χαλκάνθου ὀλίγου, καὶ κεδρίνου ἐλαίου καὶ ὀξυγγίου ψώρας ἀπάγειν. σμήχει δὲ καὶ λειχῆνας θεῖον καὶ ἄσφαλτον προσλαβοῦσα καὶ συνεψηθεῖσα ὄξει καταχρισθεῖσα. διακλυζόμενον δὲ τὸ ἀφέψημα αὐτῆς ὀδονταλγίας παύει. Id eſt, Poteſt conciſa radix, addito exiguo atramento ſutorio, Cedrinoq; oleo, & Axungia, ſcabies exterere. Abſtergit & impetigines, admixtis ſulphure & aſphalto, in aceto cocta & inuncta. Colluuntur decocto eius utiliter in dolore dentes. Subiungit Auicenna, quod omnes ſpecies Mezereon adminiſtrantur ad impetiginem & ulcera ſordida cum melle, & eradicant cortices. Hoc quoq; dictum, ut præcedens, falſum eſt, quia iſta proprietas purgandi ulcera ſordida, & quæ Eſcharam habent cum melle, non eſt Chamæleonis al-

bi uel nigri, quos eodem capite Auicenna falſo innuit eſſe ſpecies Mezereon, ſed Chamelææ tantū, ut habetur ex Dioſcoride, cuius hæc de Chamelæa uerba, ἀναλαμβανόμενα λεῖα τὰ φύλλα μετὰ μέλιτος ἀνακαθαίρει τὰ ῥυπαρὰ ἕλκη καὶ ἐσχαρωμένα. Quod eſt Repurgant cum melle conciſa folia, ſordida, & quæ cruſtas contraxerunt, ulcera. Quæ deinde ſequuntur apud Auicennam, ea Chamæleoni albo conueniunt, ſicut eſt educere lumbricos, conferre hydropiſi, & reliqua. Teſtis eſt Dioſcorides, qui hæc omnia Chamæleoni albo adſcribit, inquiens, ῥίζα τοῦ χαμαιλέοντος λευκοῦ ποθεῖσα ὀξυβάφου πλῆθος, ἄγει ἕλμινθας πλατείας, καὶ ὑδρωπικοῖς δὲ ἐπιτηδείως δίδοται ὁλκὴ σὺν οἴνῳ, ἰσχναίνει γὰρ αὐτούς. Quod eſt, Radix Chamæleontis albi acetabuli pondere pota, latos uentris lumbricos pellit. Datur & contra cutem ſubeuntes aquas utiliter drachmæ pondere cum uino, extenuat enim ac minuit eas. Hunc errorem cōtinuans Auicenna Fen vi. canon. iiij. Tract. i. Summa ij. cap. vij. accidentia atq; remedia, quæ Chamæleoni nigro, radici uenenatæ a Paulo Aegineta aſſignantur, ipſe ad Mezereon, id eſt, Chamelæam transfert. Nec eius erroris expers fuit Meſue, is enim non aliter q̄ Auicenna, cuius ſimia exiſtit, Mezereon adſcribit, quæ debentur Chamæleoni: ſcribit enim interficere lumbricos, collutionemq; eius ex aceto conferre dolori dentium, & fieri ex eo unguentum bonum ad ſcabiem: quæ ſingula a Dioſcoride Chamæleoni albo & nigro tribuuntur. Nihil uero horum conuenire Mezereon, ſiue Chamelææ, ex Dioſcoride liquet, qui uniuerſas eius proprietates breuiſſime his uerbis cōplexus eſt, ταύτης τὰ φύλλα κάτω καθαίρει φλέγμα καὶ χολήν, μάλιστα ἐν καταποτίῳ λαμβανόμενα. μιγνυμένου δὲ διπλασίονος ἀψινθίου πρὸς ἓν μέρος τῆς χαμελαίας, ἀναλαμβανέσθω δὲ ὕδατι ἢ μέλιτι εἰς καταπότια. ἔστι δὲ ἄδηκτα. διαχωρεῖται γὰρ ὅσα λαμβάνεται. Id eſt, Purgant per inferna folia eius pituitam & bilem, maxime ſi deglutienda dantur; uni foliorum parti duabus abſynthii mixtis: conformantur autem aqua mulſa in pilulas. Non conficiuntur in ſtomacho, ſed qualia ſumpta fuerunt, excernuntur. Iam arbitror, ad tædium uſq; oſtenſum eſt, aberraſſe in Mezereon deſcriptione Arabes, commodum itaq; ut ad alia feſtinemus.

Error

ERROR XIX.

NOn temere Auicennã Cicutam, Napellumq́ʒ, uulgares admodũ herbas, ignoraſſe dicimus, quando præter id quod in iis deſcribendis anceps dubiuſq́ʒ fuit, etiam ea quæ Cicutæ debentur, Napello tribuat.

Ex hoc errore deprehendent, manifeſteq́ʒ agnoſcent ueritatis amatores, quanta in caligine uerſentur hi, qui mordicus tenent Auicennam, uniuerſæq́ʒ medicinæ principem ſtatuunt: ac omnia quæ idem ſcripſit ſine ullo rationis examine, pro uero admittunt: adeo ut non immerito quis ſortem humanam deplorare poſſet, q̃ tot ſeculis mirum in modum ſub Auicennæ placitis periclitata ſit. Certum enim eſt, Auicennam nihil eorum, quæ ſcripſit, exploraſſe. Rex enim fuit, & curandis infirmis operam non dedit, trans ſcriptorq́ʒ tantũ Aliabatis ac Raſii, aliorumq́ʒ fuit. Proinde ubi ſuis uelis nauigare tentauit, mox nauem impegit, ita ut recte admodũ Ambroſius Leo Nolanus, non obeſæ naris uir, de eodem ſic pronunciauerit, Auicenna dum res naturales ingenio proprio tractare aggreſſus eſt, uſq́ʒ adeo argutule diſputauit, ut pro ſperata gloria, mali philoſophi nomen adeptus ſit. Et hæc uera eſſe, ſentient omnes, qui ea quæ de Cicuta et Napello ſcribit, exacto iuditio trutinauerint. Animaduertendum itaq́ʒ, Sucaram apud Auicennam eandem eſſe cum Cicuta, eoſdem ſiquidem Sucaram tribuit effectus, quos Cicutæ Dioſcorides. Libro ẽm ſecundo, cap. DClxxi. Sucaram in hunc modum deſcribit, Crus huius plantæ eſt, ſicut crus ferulæ, & habet florem album, & ſemen ſicut Aniſum. Dioſcorides uero lib. iiij. cap. lxxiij. Cicutam ita depingit, κώνειον καυλὸν ἀνίησι γονατώδη ὡς μάραθρον, μέγαν. φύλλα δὲ νάρθηκι ἐμφερῆ, στενώτερα δὲ καὶ βαρύοσμα, ἐπ᾽ ἄκρων δὲ ἀποφύσεις καὶ σκιάδια. ἄνθος ὑπόλευκον. σπέρμα ἐμφερὲς ἀνίσῳ λευκότερον. Quod eſt, Cicuta geniculatum profert caulem, feniculi modo, & grandem. Folia ferulæ ſimilia, anguſtiora tamen, & grauiter odorata, in cacuminibus & umbellas habet, florem ſubalbidum, ſemen ſimile Aniſo, ſed candidius. Quis eſt iam, qui collatis utrorumq́ʒ deſcriptionibus, Sucaram eſſe eandem cum Cicuta non ub

deat? Verum Auicenna tanquã parum ſibi cõſtans, deſcriptione iſta non contentus, Sucaram aliquando foliis cucumeris, aliquando mandragoræ, iuxta diuerſorum authorum opiniones conſtare tradit. Eandem etiam nunc Euphorbium, nunc Alpharphas, et nonnunquã Hyoſcyamum nigrum uocat. Nam Fen vi. cap. iiij. tractat. i. cap. ij. ubi de uenenis agit, Cicutam non Sucaram, ſed Alpharphas appellat, exiſtimatq; eſſe Napellum, aut uenenum interficiens hominẽ, & non interficiens turdos. Quod & ij. Canon. cap. Diij. de Napello facit, coturnices tamen pro turdis nominat,
„ dicens: Coturnices ex eo cibantur, & non moriuntur. Quæ equidem Galenus lib. iij. de ſimplicib. medica. diſtin. iiij. cap. i. nõ Napello & turdis, ſed Cicutæ & Sturnis adſcribit, cuius hæc quidem
„ uerba ſunt: Cicuta hominem ſane interficit, ob meatuum latitudi-
„ nem, & coloris abundantiam, ac propter magnam, quam habent
„ arteriæ in attrahendo uim, pollens adhuc pertingit ad cor, non ex
„ animat uero Sturnos ex contrariis cauſſis. In eandem quoq; ſententiam ſcribit Galenus lib. ij. de alimentis, & lib. iij. de tempera-
„ mentis, cap. iiij. dicens: Cicuta Sturno nutrimentum eſt, homini
„ uenenum. Quamuis, ut obiter dicam, antiquus interpres perperam ſemper pro Sturnis, turdis uerterit. Id quod & Alexander Aphrodiſieus in prooemio ſuorum problematum indicat, inqui
„ ens: Veratro coturnices, Cicuta Sturni ueſcuntur, quæ toxica ho
„ minibus eſſe certũ eſt. Videmus itaq; manifeſtiſſime, Auicennam Napello tribuiſſe, quæ ex authoritate omniũ ueterum debentur Cicutæ, quem etiã noſtri ſeculi medici imitantes, de Napello conſtanter affirmãt, quod nulla experientia habent cõpertum. Quod autem Cicutam Hyoſcyamũ nigrum nominat, id manifeſtum fit ex capite Fen vi. canon. iiij. tractat. i. ſumma iij. Vbi omnia ſigna quæ ſcribuntur ab Auicenna in eo, qui hauſit Hyoſcyamũ nigrũ, ac contra idem uenenum remedia non ſunt alia, q̃ quæ in Cicuta
„ Dioſcorides notauit. Auicenna nanq; ita ait: Accidunt ex eo præ
„ focatio & frigus extremitatum, & tenſio uehemens præfocans, et
„ tenebroſitas uiſus, & forſitan non uidet aliquid, & deſtruit imagi-
„ nationem, & infrigidat extrema, deinde ſpaſmat & præfocat & in
„ terficit. Cura. Adminiſtra in primis clyſteria & uomitum, & uen-
„ tris ſolutionem, deinde da in potu de uino puro aliquid poſt ali-
„ quid, quoniam eſt magni iuuamenti cum eo quod bibit & abſyn
„ thium, & detur in potu piper cum uino, ſimiliter caſtoreum &
„ ruta &c. Dioſcorides uero libro ſexto, cap. xi. in hunc modum,

κώνειον

κώνειον δὲ ποθὲν ἐπιφέρει σκοτώματα καὶ ἀχλὺν, ὥστε μηδ' ἐπ' ὀλίγον βλέπειν. λυγμόν τε καὶ διανοίας παραφοράν. καὶ ψύξιν ἄκρων. ἐπὶ τέλει δὲ σπώμενοι πνίγονται. στάσιν λαμβάνοντος τοῦ κατὰ τὴν ἀρτηρίαν πνεύματος. κατ' ἀρχὰς μὲν οὖν ὡς καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων διὰ τῶν ἐμέτων αὐτὸ κομιούμεθα. ἔπειτα κενώματι χρησάμενοι, τὸ εἰς τὰ ἔντερα προωλισθηκὸς ἐκκενοῦμεν. καὶ τότε ὡς τὸ μέγιστον βοήθημα ἐπὶ τὴν ἀκρατοποσίαν παραγινόμεθα. διδόντες μεταξὺ διάστημα· ἐν οἷς πιεῖν διδόμενον βοηθεῖ γάλα ὄνειον ἢ ἀψίνθιον μετὰ πεπέρεως καὶ οἴνου, καὶ καστορίου καὶ πηγάνου &c. Hoc eſt, Caliginem uertigineſq; oculis tantas Cicutæ potus affert, ut nec minimum uidere liceat. Singultus itidem, mentis alienationem, & extremarum corporis partium perfrictiones. Poſtremo conuulſione ſtrangulantur, ceſſante a motu omni in arteriis ſpiritu. A principio igitur, quemadmodum in aliis decretum eſt, uomitionibus eam educemus, mox exinanitione hac facta, delapſam in inteſtina eius partem purgabimus, tuncq; ueluti ad efficaciſſimum remedium, Meracas uini potiones tranſibimus, per interualla dantes, & in interuallis his aſininum bubulum ue lac, uel abſynthium cum pipere, caſtorioq;, aut rutam &c. Cæterũ non cognouiſſe Auicennam, Napellum, ex multis colligi poteſt. Primo, quia ſigna, quæ ab Auicenna ponuntur, in eo qui hauſit Napellum, ſunt eadem iis, quæ a Dioſcoride ſcribuntur in iis, qui toxicum biberunt, id quod dilucide eorundem uerba monſtrabunt. Auicenna enim Fen vi. lib. iiij. capite primo, ita de Napello docet: Napellus eſt ex deterioribus, & accidit potanti ipſum, ut apoſtementur labia ipſius, & lingua eius & frequentes fiunt ſuper ipſum uertigo & ſincopis, & ex eo raro euadũt, ex eiuſq; ſucco tinguntur ſagittæ. Quæ omia Dioſcorides lib. vi. cap. xx. non Aconito, quod idem cum Napello eſt, ut diximus errato quinto, ſed toxico adſcribit, inquiens, τὸ δὲ τοξικὸν δοκεῖ μὲν ὠνομάσθαι ἐκ τοῦ τὰ τόξα τῶν βαρβάρων ὑπ' αὐτοῦ χρίεσθαι. παρακολουθεῖ δὲ τοῖς πεπωκόσι χειλέων καὶ γλώττης φλεγμονὴ, μανία τε ἀκατάσχετος. ποικίλαις ἐπιβάλλουσα φαντασίαις. ὡς καὶ δὴ τῶν δυνατοὺς εἶν ἐν ταῖς θεραπείαις. σπανίως δὲ καὶ σώζεσθαί τινας τῶν πεπωκότων. Id eſt, Toxicum creditur ideo appellari, q; barbari ſagittas telaq; ſua eo inficiunt. Sequitur potantes linguæ labrorumq; inflammatio, inſaniaq;, quæ coerceri non poſſit, uarias im-

,, mittens imagines: quo fit, ut difficilima curatione ſanentur, raro ,, incolumes euadant haurientes. Hoc autem ueneni genus Auicenna, oblitus quod antea de eo ſcripſerit, mox infra cap. xxix. corrupto uocabulo, pro toxico Tuſom uocat, cuius ſe neq; naturã, neq; curam noſſe fatetur: eoſdem tamen in eo ex aliorum ſententia tradit effectus, quos Dioſcorides in toxico notat, ac quos paulo antea ipſe met Auicenna in Napello aſſignarat, adeo nihil penitus eorum, quæ ſcribit, meminit: ita ut deierare quis poſſet, hominem omni cerebro ac memoria caruiſſe, quod tam pugnantia non animaduerterit. Secundo, non cognouiſſe Auicennam Napellum, & ex eo colligi poteſt, cum Napellus barbaris nihil aliud ſit, q̃ quod Aconitum Græcis & Latinis, hocq; duplex eſt, authoribus Galeno lib. vi. de ſimplicib. medica. & Dioſcoride lib. iiij. cap. lxxi. unum παρδαλιαγχές, ab enecandis Pantheris ſic dictum. Aliud λυκόκτονον, quod lupos interficiat, ita appellatum. Auicenna de iis duobus generibus Aconiti eoſdem ſecutus, Fen vi. lib. iiij. de uenenis, ſub nomine ſtrangulatoris Adip, id eſt, lupi & ſtrangulatoris leopardi ſeorſum a Napello, tanquã re diuerſa egit, quod nullo pacto fieri potuiſſet, ſi Napellum cognitum habuiſſet. Iam uideant Medici iuniores, quo pacto ſuum idolũ, Auicennam tueantur, quem exiſtimant concinno quodam ordine uaſtum illum ſuũ Canonem texuiſſe, & ſi Diis placet, uniuerſam medicinam per compendium tradidiſſe poſteris. Si enim diligenter ea, quæ de Napello ac Cicuta, ac multa alia, quæ de curandi ratione conſcripſit, quorum partem in ſecundo tomo proſequemur, examinaſſent, non ordinem & lucem, ſed Cimmerias tenebras, ac confuſum chaos offendiſſent. Verũ, ueritatis ſtudioſi facile ex uno errore æſtimabũt, quantum in aliis ſit fidendum Auicennæ, quem etiam, niſi iuditium accedat ac delectus, conſultius eſt perpetuo non attigiſſe.

ERROR XX.

ERrat Anicenna, uicinitate nominis apũd Græcos deceptus, Ixon, id eſt, uiſcum, quem Aldibic uocat, pro Ixia inter uenena enumerans, quam quia ad diuerſa capita transfert, penitus ignoraſſe conuincitur.

Auicenna

Auicenna Fen vi. Canon. iiij. ſumma ij. cap.xxxiij. de Viſco ſub nomine Aldibic, ita enim Arabice appellatur, tanquã ueneno loquitur: eidem enim eadem fere ſigna atq; remedia attribuit, quæ Dioſcorides in Ixiæ ueneni potione recenſet, adeoq; deceptus nominum propinquitate, ἰξὸν, id eſt, uiſcum, pro ἰξίας ueneno deſcripſit. In quem etiam errorem Plinius incidit, idq; genus ueneni, quod Græci ἰξίαν uocant, nõ ſemel, ſed iterum atq; iterum Viſcũ appellauit. Quare inter iuniores quoq; nonnulli falſi, putant tam Auicẽnam, quàm Plinium loqui de Viſco, quo aues decipiũtur. At fieri nõ potuit, ut aut Auicenna aut Plinius Viſcum aucupum inter uenena cõnumeraret. Auicẽna ſiquidẽ lib. ij. cap. Dccxxviij. de Viſco tanquam ſalubri medicina, haud aliter quàm Dioſcorides lib. iij. cap. xcv. plurima ſcribit, nullã dans in eo ueneni mortiferi notam. Non minus Plinius lib. xvi. cap. xliiij. accuratiſſime de uariis Viſci generibus ſcribẽs, tantum abeſt, ut uiſcum uenenũ eſſe dicat, ut in robore arbore natum, certa tamen religione decerptum, ſecundum Druidum opinionem, contra omĩa uenena eſſe remedio aſtruat. Quare fateri oportet, utroſq; abuſos eſſe uocabulo, Ixum pro Ixia accipientes. Etſi hoc nomine poſſint a calumnia uindicari, non eſt tamen, quod reliqui Auicennæ errores, quibus in Ixia multipliciter implicat, queãt tolerari. Inter quos is primus eſt, quod eos effectus Thephiſiæ tribuit, quos Dioſcorides Ixiæ ueneno, quum tamen ab Ixia ſit diuerſa. Verba autem Auicennæ Fen vi. canon. iiij. ſumma ij. tracta. i. cap. xiij. de Thephiſia hæc ſunt: Hæc eſt gummi rutæ montanæ, & quandoq; ſentitur in ſapore eius, ſicut ſapor Albedarungi, & eſt calida, & accidit illi qui bibit eam, retentio eorum omnium quæ currunt ex utriſq; uiis, & apoſtematur lingua, & accidunt rugitus & inflatio. Has notas uniuerſas Dioſcorides lib. vi. cap. xxi. Ixiæ ueneno adſcribit, in hanc ſententiam diſſerens, ἰξίας δὲ ὃς καὶ οὐλόφωνος καλεῖται ἐν τῷ πίνεσθαι οἷόν τι ὠκύμῳ κατὰ τὴν ὀσμὴν καὶ κατὰ τὴν γεῦσιν ἐμφαίνει. ἐπιφέρει δὲ γλώσσης φλεγμονὴν ἰσχυρὰν, καὶ παρακοπήν. καὶ τὰς ἐκκρίσεις ἐπέχει πάσας. βορβορυγμούς τε καὶ ψόφους μετὰ λειποθυμίας ἐπιφέρει ἄχρι τοῦ προχωρεῖν τι. Id eſt, Ixias, qui & Vlophonos dicitur, ſimile quiddam dum bibitur Ocymo in guſtu et odore refert. Facit grauem linguæ inflammationem, inſaniamq;. Cuncta corporis excrementa compeſcit, & cum defectu animæ inteſtino-

rum ſtrepitus ac inflationes excitat, nec quicquã tamen excernit. Ex prædictis aſt Auicennæ uerbis iterũ tres colliguntur errores. Vnus eſt, quod falſo Thephiſiam gummi rutæ ſylueſtris interpretatur, id quod non ſolum hoc loco feciſſe conſtat, ſed etiam ij. Canon. cap. Dccx. ubi inquit: Thephiſia eſt gummi rutæ agreſtis. Quem errorem deinde ſecuti iuniores om̃es, Thephiſiam paſſim ita expoſuerunt. Verum ſi caput hoc ſecundi Canonis de Thephiſia exactius examinaſſent, ac cum capite de Tapſia apud Dioſcoridem contuliſſent, procul dubio intellexiſſent hoc nomen Thephiſiam eſſe apud Auicennam deprauatum, & pro Tapſia ſcriptum eſſe Thephiſiam. Vnde ex errore ſcripturæ falſa etiam expoſitio habuit originem. Potuiſſent autem ex eodem Dioſcoride diſcere, Tapſiam alio nomine non rutam ſylueſtrem, ſed ferulam potius ſylueſtrem appellari. Vide iam, quantum linguarum inſcitia ad intelligenda authorum ſcripta obſit, adeo certe, ut non modo delirent hi, uerum etiam inſaniãt, qui linguarũ cognitionem medico non eſſe neceſſariam contendant. Inſuper, & ſi error is ex falſa uocabuli tantum ſcriptura promanauerit, neceſſarium tamen erat, ut hunc indicaremus, quando non pauci ſint uſqꝫ adeo moroſi, qui ueterem hanc Auicennæ translationem cæteris omnibus præſtare putent, citiusqꝫ mori eligant, quàm ab iſta quicquam diſſentire. Alter error qui ex prædictis colligitur, prioribus multo grauior eſt, quod ſibiipſi Auicenna in Thephiſia contradicit. Nam in ſecundo Canone de Thephiſia ſcribit, ꝙ in radice eius et corticibus ipſius & lachryma eius eſt ſolutio, hic uero de ea inter uenena tractans, ait: Et accidit ei qui bibit eam retentio eorum omnium, quæ currunt ex utriſqꝫ uiis. Quare cum ſolutio & retentio ſuperfluitatum ſeu excrementorum, ſint effectus contrarij, liquet manifeſtiſſime ſibiipſi contradixiſſe Auicennam. Dioſcorides autem lib. vi. cap. xxxiij. Tapſiam inter ea enumerat, quæ ſalutis quidem cauſſa dantur, non tamen minora aliis uenenis pericula afferunt. Strangulationes facientes, aut ultra quàm opus eſt purgantes. Non eſt itaqꝫ, ut Auicennam quis ab errato uindicet, quin apertiſſimam in eius uerbis eſſe contradictionem dicat. Tertius error eſt, qui ex ſuperioribus colligitur, quoniam bis ſe de una eademqꝫ re ſcripſiſſe ſub diuerſis nominibus nõ animaduertit. Nam cum paulo antea de Thephiſia tanquam de Ixia ſcripſiſſet, iterum eodem libro de eadem Ixia ſub Aldibic nomine tractat, eoſdemqꝫ effectus quos ſupra Thephiſiæ tribuerat, iam Aldibic, id eſt, uiſco adſcribit, id

quod

quod mox deprehendent, qui ſibi utriuſq; capitis uerba contulerint. Intelligent & ex iſto errore medicæ profeſſionis candidati, q̃ paſſim ambigua ſcribat Auicenna, de quo certe nihil mirandum: transſcriptor enim tantummodo aliorum fuit, omniaq; utcunq; ſeſe obtulerunt, citra iuditium atq; delectum in unum corraſit, nõ aliud ſtudens, niſi ut hoc pacto Canonem ſuũ ad iuſti uoluminis magnitudinem deduceret, non curans utcunq; conſarcinati Centones ſibi reſponderent, tanquam ſua cæcis eſſet obtruſurus.

ERROR XXI.

IGnorauerũt Serapion, Auicenna atq; Arabes alii Iſatidem herbam, quam ipſi Nil ſiue Nilech appellant, ideoq; tam uarii atq; ancipites in ea deſcribenda fuerunt.

Quod præter tenebras nihil offundant Arabes, facile uidebũt, qui ea, quæ de Iſatide ſcripſerunt, diligenti iuditio perpenderint. Iſatidem uero herbam, quam noſtra ætas Guadum appellat, eſſe eam, quam Arabes Nil ſiue Nilech nominant, oſtendunt ea, quæ de Nilech ſcripſit Serapio, nam ea fere omnia de Iſatide ſatiua & ſylueſtri a Dioſcoride tradũtur. Serapionis autem de Nilech hæc
ſunt uerba: Eſt de Nilech domeſticus & ſylueſtris. Domeſticus ,,
eſt ille, quo tinctores utuntur, cuius folium eſt ſimile folio planta- ,,
ginis,, niſi quia eſt magis uiſcoſum, & fortioris nigredinis, & ha- ,,
bet ſtipitem lõgitudinis brachii unius. Sed agreſtis aſſimilatur do- ,,
meſtico, niſi quia folium eius eſt magis ſimile folio lactucæ, & ha- ,,
bet ramulos longos, plures, graciles, cum multis ramuſculis, quo ,,
rum color tendit ad rubedinem, & in ſummitatibus ramorũ ſunt ,,
uaginulę multæ ſimiles linguis. Et eſt in eis ſemen, & habet florem ,,
paruum, ſubtilem. Hæc omnia Dioſcorides lib. ij. cap. lxxiiij. de ,,
Iſatide quoq; ſcribit, inquiens, ἰσάτις ἥμερος. ᾗ οἱ βαφεῖς χρῶνται, ,,
φύλλον ἔχει ἀρνογλώσσῳ ἐμφερές. λιπαρώτερον δὲ καὶ μελάντερον. ,,
καυλὸν δὲ ὑπὲρ δίπηχυν. ἰσάτις δὲ ἀγρία παραπλησία οὖσα τῇ ,,
πρὸ αὐτῆς, φύλλα ἔχει μείζονα πρὸς τὰ τῆς θρίδακος, καυλοὺς δὲ λε ,,
πτοτέρους, πολυσχιδεῖς, ὑπερύθρους. ἔχοντας δ' ἐξ ἄκρου ὥσπερ θυλά ,,
κια γλωσσοειδῆ πολλὰ ἀποκρεμάμενα, ἐν οἷς τὸ σπέρμα. ἄνθος μήλι ,,
νον λεπτόν. Quod eſt, Iſatis domeſtica, qua lanarum infectores ,,

,, ſeu tinctores utuntur, folium habet plantagini ſimile, pinguius ta-
,, men & nigrius, caulem duobus cubitis altiorem. Iſatis uero ſylue-
,, ſtris ſatiuæ ſimilis exiſtit, folia tantum minora habet, ad lactucæ fo-
,, lia accedentia, caules graciliores, diuiſiones multas habentes, ru-
,, beſcentes, in ſummo ueluti folliculos linguarum figura multos
,, penduloſq; habentes, in quibus ſemen eſt, florem fert luteum &
,, gracilem. Adde quod Iſatidem Græcorum eſſe Nil Arabum, colli-
gitur etiam ex Auicenna ij. Canon. cap. Dxv. ubi eidem hos tri-
,, buit effectus, quos Dioſcorides ſuæ Iſatidi. Eius, inquit, aliud eſt
,, domeſticum, aliud uero ſylueſtre, cuius operatio eſt operatio do-
,, meſtici. Eſt ſtipticum, & prohibet fluxum ſanguinis, detumeſcere
,, facit apoſtemata, & confert exituris malis in membris duris, con-
,, uenit Eryſipilæ, bonum eſt ulceribus putridis. Dioſcorides ſingu-
,, los hos effectus Iſatidi adſcribit, dicens, δύναται τὰ φύλλα κατα-
,, πλασσόμενα πᾶν οἴδημα διαφορεῖν, καὶ φύματα, καὶ ἔναιμα τραύ-
,, ματα κολλᾶν, αἱμορραγίας τε ἐπέχειν, καὶ φαγεδαινικὰ, καὶ ἕρπη-
,, τας ἐρυσιπέλατά τε σηπεδόνας θεραπεύειν. Hoc eſt, Poſſunt Iſati-
,, dis folia illita omnes tumores, tuberculaq; diſcutere, cruenta uul-
,, nera glutinare, ſanguinis eruptiones ſiſtere, phagedænica come-
,, dentia ue & ſerpentia, ſacros ignes & exedentia ſanare. Cæterum
etſi ex Dioſcoridis ſententia Nil ſeu Nilech Serapio atq; Auicēna
deſcripſerint, tamen id non cognouiſſe, ex eo arguuntur, quod
ancipites in eadem depingenda fuerunt. Serapio nanq; prædicta
notificatione non contentus, affert etiam aliorum authorum ſen-
tentias, quorum aliqui Nilech habere florem Coriandri, aliqui fo-
lio phaſeolorum conſtare dixerunt. Quas equidem opiniones fa-
cile improbare potuiſſet, ſi herbam ipſam non tam ex aliorum ſcri-
ptis, quàm ex ſeipſo cognitam atq; perſpectā habuiſſet. Et ne quis
meum eſſe commentum putet, ecce Serapionis uerba ſubiiciam,
,, quorum hæc eſt ſententia: Nilech eſt arbuſtum puluerulentum,
,, eleuaturq; cum ſtipite ſuo longitudine unius brachii, & habet ger-
,, mina ramorum. In ſummitate ſua eſt flos, ſicut flos Coriandri. Et
,, iterum: Eſt planta habens folium longum, pluſquam folium ſali-
,, cis, & aſſimilatur foliis faſeoli coloris aurei. Auicenna quoq;, etſi
eadem de Nil ſcripſerit, quæ de Iſatide Dioſcorides, ut paulo ſu-
pra patuit, quoniam eodem modo diuidit in ſatiuam atq; ſylue-
ſtrem, eaſdemq; fere uires huic tribuit, quas Dioſcorides Iſatidi, cū
tamen ipſe etiam de ea tribus in locis ſub Nil uocabulo ſcribat, me-

rico ſuſpitionem affert, ſe etiam titubaſſe atq; fuiſſe ancipitem, quid nam Iſatis eſſet. Nam ij. Canon. cap. ccxcvij. ita ſcribit: Guaſmen eſt foliũ Nil, in ipſo eſt ſtipticitas & abſterſio, tingit capillos. Quæ uniuerſa quoq; paulo poſt in capite de Nil de eodem folio ſcribit, ob id reprehenſione carere non poteſt, quod fruſtra de eadem re in diuerſis capitibus tractat. Plurimum præterea a Dioſcoride ac ueritate diſcrepant, quæ idem Auicenna cap. cccvi. de grano Nil in hunc modum ſcribit: Granum Nil eſt Cartamum Indum. Item ſolutione educit humores craſſos, multaſq; alias proprietates ſubinfert, quæ nihil ad Iſatidem pertinent, pro qua Nil cap. Dxvi. retulerat. Quæ iterũ ſuſpitionem augent, Auicennam Iſatidem non cognouiſſe. Non præterire ualeo hic craſſum Pandectarii errorẽ, apud quem in eiſdem rebus nominibuſq; mira eſt colluuio. Nam falſum admodum eſt, quod docet Nigel Arabice dictum, a Græcis Neſme, a Latinis autem Indicum appellari. Neſme enim æque ut Nigel barbarum eſt uocabulum. Indicum uero tam Græcorũ quàm Latinorum aliud multo ab Iſatide eſt, ut uidere licet apud Dioſcoridem & Plinium. Dioſcorides enim lib. v. cap. lxi. inter lapides connumerans Indicum, ita de eo tradit, τοῦ δὲ λεγομένου ἰνδικοῦ λίθου, τὸ μὲν αὐτομάτως γίνεται, οἱονεὶ ἔκβρασμα ὂν τῶν ἰνδικῶν καλάμων. τὸ δὲ βαφικόν ἐστιν ἐπανθισμὸς πορφυροῦς ἐπιφερούμενος τοῖς χαλκείοις. ὃν ἀποσύραντες ξηραίνουσιν οἱ τεχνῖται. Id eſt, Indici nominati lapidis duo ſunt genera. Alterum quidem ſponte ſua naſcitur in harundinibus Indicis ſpumæ modo erumpens. Alterum, quod infectiuum uocant, ueluti flos purpuræ ære is cortinis ſupernatans, quem deſpumantes infectores, ſiccant. Plinii autem, Dioſcoridẽ imitantis, lib. xxxiij. cap. vi. de Indico hæc ſunt uerba: Ab hoc maxima authoritas Indico. Ex India uenit harundinum ſpuma adhæreſcente limo, cum teritur nigrum. At in diluendo mixturam purpuræ cœruleiq; mirabilem reddit. Alterũ genus eius eſt in purpurariis officinis innatans cortinis. Ex iſtis ſatis apparet, quantũ Indicum ab Iſatide differat. Inſuper idem Pandectarius alio in loco, in litera uidelicet B Oſatidem uel potius Iſatidem & Borith Græce, Arabice autem Agiſdo, Latine uero Saponariam, uel herbam fullonum, eandem herbam eſſe docet, at mendaciſſime. Nam Iſatim, quam ipſe uitioſe Oſatum uocat, non eſſe herbam, quam Græci Struthion, Latini radiculam ſiue lanariam herbam, eo quod fullones ea in purgandis lanis utuntur, ap

pellant, ſatis cōſtat ex Dioſcoride, qui de eiſdem in diuerſis capitibus, tanquā natura & uiribus diſtantibus tractat. At nihil mirū, uirum hūc tam abſurda ſcripſiſſe, quando fere ubiq; mendaciſſimus reperiatur. Iam ſatis ſuperq; monſtratum eſt, Iſatidem nō ſatis perſpectam fuiſſe Arabis, ideoq; ne in re ſatis aperta plus æquo immoremur, hic de Iſatide finem faciemus. Plura ſi legere anhelat animus, uide quæ ſcribat Nicolaus Leonicenus, diligentiſſimæ lectionis, & exquiſiti iudicii uir, in epiſtola ad Angelum Politianum, ex quo certe, ut ingenue fateor, non pauca toto hoc uolumine mutuatus ſum. Quem ob id etiam impiū duxerim, ſua laude fruſtari, quod is ferme primus fuerit, qui medicinam a barbarorum ſordibus, innumeriſq; erroribus uindicauerit, dignus hoc nomine, ut docti eundem certatim multis laudibus euehant.

ERROR XXII.

HAllucinatur Auicenna, Calamentum cum Origano confundens: ſub enim Calamenti nomine de omībus ferme Origani ſpeciebus pertractat, atq; utriuſq; uires promiſcue docet.

Auicenna ij. Cano. cap. clviij. Calamentum hunc in modum
» deſcribit: Calamentum aliud eſt fluuiale, & aliud montanum, ſi-
» mile hyſſopo in ſapore, & ſimiliter folia eius ſunt ei ſimilia. Et eſt
» alia ſpecies eius, quæ nominat̄ Alhauiū. Et eſt quædā ſpecies eius,
» quæ uocatur Calamentum hirci. Et montanū eſt fortius fluuiali.
Ex his Auicennæ uerbis nemo nō, niſi talpa cæcior ſit, cernit eundem erraſſe, quando ſub Calamenti nomine de omnibus Origani ſpeciebus pertractet, id quod ſole clarius monſtrabit Dioſcorides, qui lib. iij. cap. xxx. Origanum & non Calaminthen ad Aui-
» cennæ præſcriptum depingit, uerba eius hæc ſunt, ὀρίγανος ἡρα-
» κλεωτική. οἱ δὲ κονίλην καλοῦσι. φύλλον ἔχει ἐμφερὲς ὑσσώπῳ.
» σκιάδιον δὲ οὐ τροχοειδές. ἀλλ' ὥσπερ διῃρημένον· ἐπ' ἄκρων
» τῶν ῥάβδων τὸ σπέρμα οὐ πυκνόν. ἡ δὲ ὀνῖτις καλουμένη, λευκοτέ-
» ρα τοῖς φύλλοις ἐστί. καὶ μᾶλλον ἐοικυῖα ὑσσώπῳ. καὶ τὸ σπέρμα ὥσπερ
» κορύμβους συνεχεῖς ἐπικειμένους ἔχει. τραγορίγανος θαμνίσκος ἐστὶν
» ὀριγάνῳ ἢ ἑρπύλλῳ ἀγρίῳ ὅμοιος τὰ φύλλα καὶ τὰ κλωνία.
» Hoc eſt, Origanum Heracleoticum, ſunt qui Cunilam uocant,
folium

folium Hyſſopo ſimile habet, non tamen umbellam rotæ figura, ſed multifidam, & ueluti diuiſam. Semen illi in ſummis uirgis non denſum durumq́ eſt. Quæ uero Onitis dicitur, candidior foliis eſt & Hyſſopo magis ſimilis, habetq́ ſemen confertorum corymborum modo. Tragoriganus autẽ frutex eſt exiguus, Origano, Serpyllo ue agreſti foliis & ramulis ſimilis. In eum modum quoq́ deſcribit Origanum Plinius lib. xx. cap. xvij. dicens: Origanum, quod in ſapore Cunilam æmulatur, plura genera in medicina habet, & Onitin uel Praſion appellant, non diſſimile Hyſſopo. Tragoriganon ſimile eſt ſerpyllo ſylueſtri. Quod autem Auicẽna utriuſq́, hoc eſt, Calamenti & Origani, uires miſcuerit, facile deprehendent, qui eiuſdem de Calamento caput, cum iis quæ Dioſcorides de utriſq́ ſcripſit, contulerint. At ne ueritatis cupidi quid deſyderent, ecce nonnulla conferemus, ad quorum exemplar reliqua diiudicabunt. Auicenna inter cætera de Calamenti uiribus ſic ſcribit: Fit balneatio ex decoctione montani ad pruritũ & ſcabiem, & quandoq́ ſeparatur icteritia, & confert hydropiſi, quando comeditur cum ficubus. Et ſolutione educit cholerã nigram, & confert ulceribus oris, & extrahit ſuperfluitates ex utriſq́ naribus. Hæc ſingula Dioſcoridis teſtimonio non Calamento, ſed Origano debentur. De Origano enim ſcribens, ſic inquit, ἔστι δὲ θερμαντική. ἁρμόζει πρὸς τὰ σπάσματα καὶ ῥήγματα καὶ ὑδρωπας μετὰ σύκου βιβρωσκομένη. ξηρὰ δὲ ποθεῖσα ὀξυβάφου πλῆθος, σὺν μελικράτῳ μέλανα κατὰ κοιλίαν ἄγει. κνησμοὺς δὲ καὶ ψώρας καὶ ἴκτερον τὸ ἀφέψημα αὐτῆς ἐν λουτρῷ ὠφελεῖ. ὁ δὲ χυλὸς αὐτῆς χλωρᾶς οὔσης, παρίσθμια καὶ κιονίδας καὶ ἄφθας θεραπεύει, καὶ διὰ ῥινὸς ἄγει σὺν ἐλαίῳ ἰρίνῳ ἐγχυματιζόμενος. Id eſt, Calefacit Origanus, prodeſt ad conuulſa ruptaq́, & cutem ſubeuntes aquas cum fico comeſta. Bibitur eadem ſiccata acetabuli menſura cum mulſa aqua nigram bilem per inferna trahens. Prurigines itidem, ſcabies, & ſuffuſos felle emendat decoctum eius his, qui eo lauantur. Succus etiam uirentis, tonſillas, columellamq́ et oris ulcera ſanat, & cum Irino oleo infuſus naribus per eas purgat. Sunt & præter has proprietates aliæ, quas Auicenna Calamento adſcribit, quæ tamen Dioſcorides Tragorigano tribuit, qualia ſunt hæc, Sedare nauſeam, extenuare lienem, conferre ſtomachi doloribus & conturbationi, ſicut animaduertet is, qui Dioſcoridem de Tragorigano ſcribentem legerit. Præterea ſunt non pauca etiam, quæ ueræ Cala-

minthi, quam Romani Nepetam uocant, conueniunt, ſicut ſunt
,, iſta, Quando bibitur, aut ex eo fit emplaſtrum, confert puncturæ
,, uermium uenenoſorum, eius decoctio prouocat urinam, confert
,, ſpaſmo, & dilatationi anhelitus, dolori pungitiuo uentris, & cho
,, lericæ paſſioni & rigori. Et quando præmittit & bibitur cũ uino,
,, expellit uenena mortalia, interficit uermes: & quando comedit &
,, bibitur poſt ipſum aqua caſei diebus continuis, confert elephan-
,, tiæ etc. Has enim uires ſingulas ex ordine Dioſcorides lib. iij. cap.
,, xxxix. Calaminthi adſcribit, dicens: ποτιζομένη δὲ καὶ καλαμίνθη καὶ κα
,, ταπλασσομένη ἀρήγει ἑρπετοδήκτοις. ἄγει δὲ καὶ οὖρα δ᾽ ἀφέψημα
,, πινόμενον. βοηθεῖ δὲ καὶ ῥήγμασι, σπάσμασιν, ὀρθοπνοίαις, στρόφοις,
,, χολέρᾳ, καὶ ῥίγει, καὶ πρὸς τὰ θανάσιμα προποτιζομένη ποιεῖ σὺν οἴ
,, νῳ. καὶ ἴκτερον ἀποκαθαίρει ἕλμινθάς τε κτείνει σὺν ἁλσὶ καὶ μέλιτι
,, ποτιζομένη, ἑφθή τε ἢ ὠμὴ τετριμμένη. ὠφελεῖ καὶ ἐλεφαντιῶσιν.
,, Quod eſt, Calaminthe ſuccurrit pota aut emplaſtri modo impoſi
,, ta ſerpentium morſibus. Vrinam pellit potum eius decoctũ, opi-
,, tulatur ruptis, conuulſis, in ſpiritus difficultate & nõ niſi recta cer
,, uice ſpirantibus, torminibus, bilis profluuio, & febrium algori,
,, Contra letalia uenena præpota cum uino facit, reſtituit ſuffuſos
,, felle, uentris lumbricos cum ſale & melle pota necat, elixa crudaq́
,, trita, prodeſt & elephantiis. Proinde non eſt, quod quouis pacto
Auicenna ab errore uindicari queat, neq́ enim de ſolo Calamen-
to hoc capite ſcripſit, quando multa ſint in eodem, quæ Origano
conueniant: neq́ in nomine tantum peccatum eſt, puta quod Ca-
lamentum pro Origano ſcriptum interpretis incuria fuiſſet, ſunt
enim non pauca, ut demonſtrauimus, quæ ex Dioſcoridis autho
ritate Calaminthi debentur. Sed quid multa? ſolent fere omnia
Auicennæ eſſe dubitationibus plena.

ERROR XXIII.

ERrat Auicenna, herbas quatuor, Helxinen ui-
delicet, Alſinen, Myoſotida & Anagalliden, na
tura & figura plurimum differentes, ſub unius auri
culæ muris appellatione confundens.

Differre non ſolum natura, ſed & figura quatuor has herbas,
oſtendit non ſolum Dioſcorides, ſed & Galenus atq́ Plinius, qui

ſinguli

ſinguli ſeorſum iſtas depingũt, quod equidem nõ feciſſent, ſi eaſdem figura aut natura non diſtare perſpectũ habũiſſent. Hoc non animaduertẽs Auicenna, eaſdem Cano.ij.cap.xviij. ſub Auriculæ muris nomine confundit. Nec poteſt ab errore uindicari Auicenna, quod Alſine & Myoſotis, quæ proprie auricula muris dicitur, ac Anagallis, quia foliis murium auribus ſimilibus conſtant, merito auriculæ muris nomine nuncupari potuerint. Nam hoc utcunq; de tribus iis dici poſſit, de Helxine certe, quæ Conuoluolum, ob id quod omnibus, in quas inciderit, plantis circumuoluatur, latine appellari poteſt: cuius folia, authore Dioſcoride lib.iiij. cap. χκά. hederæ foliis ſunt ſimilia, dici nequaquã poteſt. Quod autẽ Anagallis ſit diuerſa ab auricula muris, fatetur met ipſe Auicenna, ſeorſum deinde ſub proprio nomine de ea tractans, oblitus quod antea eius proprietates in auricula muris aſſignauerat. At ne uidear per calumniam falſo reprehendere Auicẽnam, eiuſdem uerba ex ſecundo de Simplicib. Medic. libro in medium afferemus. Auricula, inquit, muris eſt herba, cuius uirtus ſecundum Galenũ eſt propinqua uirtuti herbæ, qua uitrũ abſtergit. His uerbis procul dubio Alſinen innuit, quam Galenus & Dioſcorides teſtantur ſimiles habere uires. Galenus enim lib.vi. de ſimplicib. medica. cap.xxv. de Alſine in hũc modum ſcribit: Hæc eſt herba parua, & eius uirtus eſt ſimilis uirtuti herbæ, qua uitrum abſtergitur, hoc eſt, Helxini, quam noſtri Parietariam nominãt. Dioſcorides uero lib.iiij.cap. χξθ. de Alſine ita tradit, καὶ καθόλȣ δύναται τὰ ἀυτὰ τῇ ἑλξίνῃ. Id eſt, Et in uniuerſum eadem Helxine poteſt. Ita Plinius quoq; lib.xxvij.cap.iiij. de eadem ſcribit, Alſine quam quidam Myoſoton appellant, naſcitur in lucis, unde & Alſine dicta eſt. Vſus eius ad collectiones inflammationeſq;. Quin emendat omnia quæ Helxine, ſed infirmius. Subiungit Auicenna: Et hoc nomen conceſſum eſt duabus herbis, quarum una eſt, quam nominat Galenus. Hæc quidem Auicennæ uerba uera ſunt: non enim ſolum huic herbæ, quæ proprie Myoſotis dicitur, auriculæ muris nomen conceditur, ſed etiam Alſini, ut ex Plinio iam patuit & indicat Dioſcorides, ita ſcribens, ἀλσίνη οἱ δὲ μυὸς ὦτα ἀπὸ τοῦ ἔχειν φύλλα ὅμοια μυὸς ὠτίοις. Hoc eſt, Alſinen muris auriculam aliqui dixerunt, quod murium auribus ſimilia folia habet. Quod autem addit Auicenna, quod altera quam nominauit Dioſcorides, ſit ſimilis Volubili, niſi quia habet minora folia, hoc per

omnia falſum eſt. Nam neq; de ea quæ proprie Auricula Muris uocatur, neq; de altera, quæ Alſine nuncupatur, dici poteſt, quando nulla earum ſit Volubili ſimilis, nec in foliis, nec flore. Scribitur tamen hoc de Helxine, quæ & Ciſſampelos dicitur, quod habeat folia hederæ ſimilia, minora tamen. Eſt eñ duplex Helxine. Vna Mercurialis herbæ foliis & hirſutis, quæ a noſtris dicta eſt Parietaria. Altera hederæ, in uinetis naſcens, ideoq; Ciſſampelos uocata, & eſt Conuoluolum. Eſſe autem duas Helxines, diſſimiles naturæ inter ſe notæ oſtendunt, & poſt naturam antiquiores Græci, præſertim Dioſcorides, Paulusq; Aegineta, qui priuatim ſeorſumq; his uerbis de utraq; in ſexto egit, ἑλξίνη δὲ· οἱ δὲ περδίκιον, οἱ δὲ παρθένιον, οἱ δὲ σιδηρῖτιν, οἱ δὲ ἡράκλειαν. δύναμις δὲ αὐτοῦ ῥυπτική τε καὶ ἀρέμα μεθ᾽ ὑγρότητος ὑποψύχρου συπτική. Quod eſt, Helxine ſunt, qui Perdicium, qui Parthenium, qui Sideritim, qui Heracleam uocent. Vis eius eſt abſtergens, & cum frigida humiditate aliqua ſenſim leniterq; adſtringens. Poſt hæc idem Paulus ait, ἑλξίνη ἡ καὶ κισσάμπελος διαφορητικῆς ἐστι δυνάμεως. Id eſt, Helxine, quæ Ciſſampelos dicitur, diſcutiendi uim habet. Primã deſcribit Dioſcorides lib. iiij. cap. xxxvi. Et Plinius lib. xxij. cap. xvij. Secundam uero idem Dioſcorides libro eodem, cap. χκά. depingit. Poſt uerba paulo ante dicta, Auicenna ita ait: Et eſt herba expanſa ſuper faciem terræ, paruos habens ſtipites, et azulinos flores. Quæ utiq; Auicennæ uerba non conueniunt auriculæ muris, ſed alteri Anagallidis generi; id quod teſtatur Dioſcorides libro ſecundo, cap. clxvij. de Anagallide in hũc modum ſcribens, περὶ ἀναγαλλίδος διττὸν εἶδός ἐστι, διαφέρον ἄνθει. ἡ μὲν γὰρ κυάνεον ἔχουσα τὸ ἄνθος, θήλεια λέγεται. ἡ δὲ τὸ φοινικοῦν, ἄῤῥην. θαμνία δὲ ἐστι κεχυμένα ἐπὶ γῆς, φύλλα ἔχοντα ἐπὶ τετραγώνου καυλίου μικρά. ὑποστρόγγυλα πρὸς τὰ τῆς ἑλξίνης. καρπὸν περιφερῆ. Quod eſt, Duplex diuerſo floris colore Anagallidis genus eſt. Habet enim altera cœruleos, quæ fœmina eſt: altera quæ maſcula, puniceos flores. Breues ſunt frutices in terra iacentes, foliis in quadrangulo caule paruis, & modice rotũdis, Helxines figura, ſemen habent circinatum. Nec diſſentit Galenus libro de ſimplicibus medicamentis ad Paternianum, cap. xxiiij. dicens: Anagallidis duæ ſpecies. Vna cœruleo flore, altera quaſi puniceo, uerum ambæ in aliis ſibi ſimiles. Sicut autem frutice humiles, foliis mollibus & pu

ſillis, &

ſillis, & ſubrotundis. Plinius quoq; lib. xxv. cap. xiij. nihil a ſuperioribus quod diuerſum ſit, ſcribit, inquiens: Duo genera eius. Mas flore phœniceo, fœmina cœruleo, nō altiores palmo, frutice tenero, foliis puſillis, rotundis, in terra iacentibus, naſcuntur in hortis & aquoſis. Porro effectus, qui deinde ab Auicenna adnotantur, hi Anagallidis proprii ſunt, quemadmodū dum ait: Illa, quam nominauit Dioſcorides, extrahit ſpinas & ſurculos, & facit adhærere plagas. Hi enim a Dioſcoride quoq; tribuuntur Anagallidi, dum in eam ſententiam ſcribit, εἰσὶ δὲ ἀμφότεραι πραϋντικαί, ἀφλέγμαντοι, σκολόπων ἐπισπαστικαί. Quod eſt, Leniendi uis utriq; eſt, inflammationes arcent, ſurculos extrahunt. Eaſdem etiā proprietates Auicenna ipſe, cum ſeorſum de utroq; Anagallidis genere, cap. xxxiij. ſub proprio tractat nomine Anagallidi adſcribit. Adiicit tamen Auicenna ſuperioribus aliam quandam proprietatem ex ſententia Muſaihach cuiuſdam, quod ſcilicet eius iuuamentum eſt iuuamentum abſynthii, quæ certe non eſt Anagallidis, ſed refertur a Paulo Aegineta de ea herba, quæ proprie Myoſotis, id eſt, Auricula Muris dicitur a græcis, qui eam ad occidendos uermes adhibet. Ideoq; clarū admodum eſſe arbitror, Auicennam in uno eodemq; capite quatuor herbas, natura & figura differentes, miſcuiſſe, primum referens ea quæ Alſini, ſecundo quæ Helxini, tertio quæ Anagallidi, & poſtremum quæ Auriculæ Muris conueniunt.

ERROR XXIIII.

IGnorant noſtræ ætatis Medici, per Auicennam erroneæ medicinæ magiſtrum ſeducti, non ſine magno multorum periculo, herbam, Pedem coruinum nominatam priſcis, a noſtra eſſe diuerſam.

Nemo miretur me Auicennam erroneæ medicinæ magiſtrum principemq; ſtatuiſſe, cur enim eo homine non dignus ſit, qui reliquis tot errandi occaſiones in re medica præſtiterit, non uideo. Vtinam uero non tantæ aliquando forent, ut iſtis uita humana periclitaretur, ita enim conniuendi nonnunquā ſubeſſet anſa. Proinde cum illa errandi occaſio, quam Medicis iunioribus in herba Pedis coruini præbuit, tanta ſit, ut ſine uitæ humanæ ultimo diſcrimine tolerari nō queat, merito & hic inter reliqua eius errata locum

habebit. Nihil autem mirum, aliis errandi occaſionẽ dediſſe Aui-
cennam, cum ipſe, quid eſſet Pes coruinus, ignorarit: id quod nõ
modo ambigua, uerum etiam contraria, quæ de hac ipſa herba
ſcribit, indicant. Canone enim ſecundo, cap. Dlxvij. de Pede cor
„ uino in hunc modum diſſerit: Pes coruinus. Radix huius herbæ
„ cum decoquitur, confert ſolutioni uentris antiquæ. Et dixerunt,
„ Paulus, & alii, quod confert colicæ, & efficit operationem hermo
„ dactylorum abſq; nocumento. Quid, per Apollinem obteſtor,
iſtis uerbis obſcurius? quid deniq; magis pugnans? Si eñ radix
Pedis coruini ſolutioni antiquæ prodeſt, certe hermodactylorum
operationem, qui ſunt ſatis in ſoluendo potentes, facere non po-
teſt. Idem inſuper Auicenna Fen xxij. Cano. iij. tracta. ij. cap. viij
Pedem coruinũ non colicæ, ſed podagræ potius, ex eiuſdem Pau
„ li ſententia prodeſſe docet, ita ſcribens: Et dixerũt quidam, quod
„ Pedi coruino ineſt operatio hermodactylorum, & nõ eſt eius, no
„ cere ſtomacho. Vtrobiq; tamen male Paulus ſuper hac medicina,
quæ facit operationem hermodactylorum, ab Auicenna citatur.
Neq; enim uſquã Paulus Coruinũ Pedem hermodactylis compa
rat in iuuando podagricos, ſed compoſitionem, quæ nominatur
apud Græcos διὰ κορονοποδὸς, id eſt, per Pedem coruinum, alteri
præfert, quæ apud eoſdem Græcos διὰ ἑρμοδακτύλων, id eſt, per
hermodactylos nominatur, ſicut uidere licet apud Paulum in ſe-
ptimo. Itaq; ex ambigua iſta atq; falſa Auicennæ deſcriptione ni-
hil certi uenari poteſt. Hinc eſt, quod tam uaria eiuſdem interpre-
tes de eadem herba pronunciauerint. Quod ſi uero prædicti ex-
poſitores, ac tota etiam iuniorũ Medicorum ſchola, cognouiſſent
aliam eſſe herbam, a priſcæ ætatis Medicis Pedem coruinũ appel-
latam, aliamq; a noſtris, nunquam tam uaria, tamq; dubia de ea
ſcripſiſſent. Ridiculum enim ferme eſt, putare herbam, quam no-
ſtri temporis herbarii Pedem coruinum nominant, eſſe illã, quam
ueteres Medici, Dioſcorides, Galenus, Plinius & Paulus ſub eo-
dem nomine celebrarunt, quaſi ſit neceſſarium, ut quæ nunc ſunt
nomina herbarum, etiam priori ſeculo fuerint. Et ut rem clarius
demonſtremus, annotandum, quod antiquorum Pes coruinus,
Coronopus eſt dicta, hancq; deſcribit Dioſcorides libro ſecundo
„ cap. cxvij. in hunc modum: κορωνόπους πρόμηκες βοτάνιον κατὰ
„ τοῦ ἐδάφους ἐστρωμένον, κατεσχηματισμένον τὰ φύλλα. λαχανεύεται
„ δὲ καὶ αὐτὸ ἑφθόν. ῥίζαν λεπτὴν ἔχον. στυπτικήν. ἐσθιομένην, πρὸς
κοιλιακοὺς

κοιλιακοὺς ποιοῦσαν. Hoc eſt, Coronopus oblonga herbula eſt per terram ſtrata, & folia in ciſuris diuiſa habet. Eſtur olerum modo decocta. Radicem habet gracilem in cibo aſtringentem, ideoq; cœliacis utilem. Nec aliter deſcribũt Galenus lib. vij. de ſimplicib. medicam. cap. xlij. Et Plinius lib. xxij. cap. xix. inquiens: Coronopus oblonga herba eſt cum fiſſuris. Seritur interim, quoniam radix præclare facit cœliacis in cinere toſta. Eſt autem dubio procul herba illa, quam uulgo Capriolam, aut Sanguinariam, quod naribus appoſita ſanguinem eliciat: aut Pedem Galli nominant. Quam etiam ſub galli cruris nomine deſcribit Apuleius Madaurenſis in libro de herbarum uirtutibus, cap. xliij. in eum modũ, Naſci amat herba Galli crus locis ſolidis, & circa uias, eius cacumen inſtar pedis galli. Non eſſe uero herbam hanc diuerſam a Coronopode ueterum, teſtatur Dioſcorides, qui conſimiliter admodum Coronopodẽ deſcribit, γίνεται δὲ ἐν χέρσοις τόποις καὶ ἐν δώμασι καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς. Id eſt, naſcitur locis incultis, aggeribus & uiis. Iuniorum autem Medicorũ Pes coruinus longe alia a priori exiſtit herba: ea enim exulcerandi uim habet, & non adſtringendi, quemadmodum antiquorum, atq; adeo extrinſecus appóſita, rodit, ampullaſq; excitat: eaq; Dioſcoridi & reliquis Græcis βατράχιον, Latinis uero Ranunculus uocatur, quoniam ranis herbæq; in eodem elemento natales ſint, aut quod inter eius frutices frequentes inueniantur ranæ. Medici uero iuniores nõ ſolum Pedem coruinum, ſed etiam apium raninum & ſylueſtre nominant. Sunt etiã, qui Riſus apium adhuc appellant, genus & noxam eius indicantes. Nam ea in Sardinia plurima naſcitur, quæ ſi in cibo potu ue ſumitur, mentis alienationem, & cum labrorum contractione eas cõuulſiones facit, ut riſus ſpeciem uidentibus præbeat. Ab eoq; affectu triſti & amaro nimis, dicterio Sardonius riſus inter homines quondam iactabatur. Huius herbæ, quam ueteres βατράχιον, a rana, cuius effigiem repræſentat, nominarunt, om̃es quatuor faciunt ſpecies, eorumq; folia & caulem, ſi apponantur humano corpori, uim exulcerandi habere, & eſcharam facere docent. Id quod facit Dioſcorides lib. ij. cap. clxiij. de ea in hanc ſententiam ſcribens, βατράχιον οἱ δὲ σέλινον ἄγριον καλοῦσι. τούτου πλείονα μέν ἐστι εἴδη. δύναμις δὲ μία δριμεῖα, καὶ ἄγαν ἑλκωτική. Et paulo poſt, δύναμιν δὲ ἔχει τὰ φύλλα καὶ οἱ καυλοὶ ἁπαλοὶ καταπλασσόμενα ἑλκωτικὴν καὶ ἐσχαρωτικὴν μετὰ πόνου. Quod eſt,

,, Batrachion, ſunt qui Apiũ agreſte nominãt. Huius plura ſunt ge-
,, nera. Vna tamen omniũ uis acris, & in exulcerando efficaciſſima.
,, Habẽt omniũ folia & caules teneri impoſiti exulcerandi, urendiq;
,, ignis modo, uim cũ dolore. Subſcribit Galenus lib. vi. de Simpli.
,, Medic. cap. lxxvi. ita differẽs: Genera huius plantæ quatuor. Vir
,, tus omniũ eſt acris, fortis in tantum, ut ſi extrinſecus apponantur,
,, exulceratione faciant cum dolore. Neq; diſſentit Plinius lib. xxvi.
,, cap. xiiij. ita ſcribens: Ranunculum uocamus, quem Græci Batra-
,, chion, genera eius quatuor, omĩbus uis cauſtica, ſi cruda folia im-
,, ponantur, puſtulaſq; ut ignis faciunt. Cogitent itaq; ueritatis ſtudioſi, quid detrimenti ex diuerſitate iſta duarum herbarũ eiuſdem appellationis non animaduerſa acciderit. Arbitrati ſunt enim quidam, cum Pedem coruinum apud Auicennam ad podagricos dolores prodeſſe legiſſent, hanc noſtram, quæ Ranunculus dicitur, intellexiſſe, adeoq; ignorantes eſſe uenenum, in catapotiis deuorandum exhibuerũt. Quemadmodum Leonicenus, uir nunquã ſine honoris titulo nominandus, ſcribit ſe nouiſſe Medicum, qui ex radice Pedis coruini, quibuſdam aliis adiunctis, pilulas conficiebat, eaſq; podagra laborantibus propinabat, non ſine magno quorundam, qui eas accepere, periculo, donec tandem per eum ſui erroris admonitus, a tam periculoſo medicamento abſtinuit. Quod ſi Medicus ille cognouiſſet, Coronopoda Græcorum eſſe diuerſam a noſtra, nunquã in animum induxiſſet, hanc aut in catapotiis, aut alio quouis modo intus ſine periculo adhiberi poſſe. Quare tu quiſquis es, qui ſolidam medicinam ex animo ſitis, diſce aliorum periculo, delectumq; legendis authoribus adhibe.

ERROR XXV.

HAllucinatur Auicenna cum tota Arabum ſchola, fabuloſo ſcilicet errore ſeductus, Carabe, q̊d Græci Electrum, Succinum uero Latini uocant, Populi arboris gummi putans.

Auicenna ſecundo Canonis, cap. ccclxxiiij. Carabe hiſtoriam ex profeſſo tractans, ſcribit eſſe gummi arboris cuiuſdã, quæ Nux Romana uocatur, quam cap. cccli. alio nomine Haurum appellat
,, Nam gummi, inquit, quæ ex hac arbore Romana eſt, Carabe eſt. Manifeſtum uero, Arabes per Haurum Romi ſeu Romanum in-

telligi Populũ nigram: id quod præter cætera indicant Auicennæ uerba, quæ in capite Hauri Romani ſcribit in hunc modum: Nominatur Achiroſa, quæ ſane dictio corrupta eſt, quando Aegiros pro ea ſcribendum erat, Græcis autem αἴγειρος Populum nigram ſignificat. Quantum autem deceptus ſit Auicenna, atq; plures alij cum eo, oſtendunt ea quæ ſcribit Plinius libro naturalis hiſtoriæ xxxvij. cap. ij. Is enim fabuloſum hunc errorem explodẽs, ita ait: Phaetontis fulmine icti ſorores fletu mutatas in arbores Populos, lachrymis electrum omnibus annis fundere iuxta Eridanum amnem, quem Padum uocamus. Et Electrum appellatum, quoniam ſol uocitatus ſit elector, plurimi Poetæ dixere, primiq; ut arbitror, Aeſchylus, Philoxenus, Nicander, Euripides, Satyrus. Quod eſſe falſum, Italiæ teſtimonio patet. Ita fabuloſa etiam ſecutus pro argumento operis Ouidius, lib. ij. Metamorphoſeos, inquit: Inde fluunt lachrymæ, ſtillataq; ſole rigeſcunt, De ramis electra nouis. Capite uero tertio eiuſdem libri Plinius, poſt uarias de Succino opiniones, eius ortum certius deſcribens, ita ait: Certum eſt gigni in inſulis Septentrionalis Oceani, & a Germanis appellari Gleſſum, itaq; & a noſtris unam inſularum ob id Gleſſariam appellatam, Germanico Cæſare ibi claſſibus rem gerente, Auſtrauiam a Barbaris dictam. Naſcitur autem defluente medulla Pinei generis arboribus, ut gummi in ceraſis, reſina pineis. Erumpit humoris abundantia. Denſatur rigore uel tepore autumnali. Cum intumeſcens æſtus rapuit ex inſulis, certe in littora expellitur, ita uolubile, ut pendere uideatur, atq; conſidere in uado, quod arboris ſuccum priſci noſtri credidere, ob id Succinũ appellantes. Nec probatur etiam a Dioſcoride ea fama ac opinio, quæ ex Populi arboris reſina Succinũ durari adſtruit, id quod indicat libro primo, cap. ciiij. dum ait, ἱστορεῖται δὲ ὅτι τὸ ἐξ αὐτῶν δάκρυον κατὰ τὸν Ἠριδανὸν πόταμον καταχεόμενον πήγνυται, καὶ γίνεται τὸ καλούμενον ἤλεκτρον. Id eſt, Fertur utriuſq; populi lachryma circa Eridanum fluuium in deſtillando denſari, fieri quod Electrum uocant. Eo enim quod ait, fertur, inſinuat ſe id commentum non probare. Accedit iis omnibus, quod re ipſa iam hic error etiam exploſus ſit. Verum ad hunc errorem conniuendum fuiſſet, quando & inter authores nõ pauci adhuc hodie cum Auicenna ſentiant, niſi quoq; pugnantia ſibi in Carabe ſcriberet Auicenna. Capite nanq; cclxxiiij aſſerit Carabe eſſe calidum parumper, id quod & facit in libello de ui

ribus cordis, calidam in primo, & ſiccam in ſecundo dicens, mox tamen ſubdit: Opinio tamen eſt, quod ſit frigida. Capite autem cccxliiij. hoc gummi calidiſſimum eſſe ſcribit, quod & cap. Dx. confirmat, inquiens: Eius gummi eſt ultimum in calefaciendo. Hic iterum cogitent ueritatis ſtudioſi, quanto in periculo uerſentur, qui Auicennam ſibi in uniuerſum imitandum propoſuerunt. Quod equidem magna Medicorum pars facit, & hi maxime, qui uulgo celebriores doctioreſq; habentur, qui etiam per compita et fora non uerentur prædicare, ſe malle cum Auicenna Arabiſq; aliis, quorum uerba oraculis inſtar habent, errare, quàm cum iis, qui medicinam a Græcis hauriūt, recte ſentire. O cæcitatem. Hæc ideo iterum atq; iterum inculco, ut ſi nullo alio pacto ab inſtituto peruerſo auocari poſſent moroſi iſti ignauiæ propugnatores, maniſeſtiſſimi ſaltem Arabum authorum errores eos deterrerent, ad melioremq; mentem reducerent.

ERROR XXVI.

ERrat Auicenna, qui Populum arborem deſcribens, præter hoc quod uix unquam ulla alia in re tam uarius, tamq; parum ſibi conſtans fuit, calidam etiam in tertio ordine eſſe adſerit.

Auicenna ſecundo Canonis, Populum arborem ſub diuerſis nominibus deſcribens, tam uarius eſt, tamq; nuſquam ſibi conſtans, ut merito hunc Proteum aut Vertūnum dicere poſſes. Nam ter de una eademq; re diuerſis capitibus agit, cui uitio etſi non ſemel obnoxius ſit, nunquā tamen magis quàm in Populo arbore. Hanc enim primum capite cccxliiij. ſub Hauri Romani nomine deſcribit. Dein capite cccli. ſub nomine Hauri, ubi quoq; confundit ea, quæ de alba & nigra Populo a Dioſcoride & Galeno diuerſis capitibus ſcribuntur. Tertio autem eandem Populū cap. Dx. ſub nomine Nucis Romanæ depingit, adeo ut a cōcinno ordine, quem præter cæteros eundem noſtri ſeruaſſe clamitant, ea in re fuerit alieniſſimus. Proinde hoc loci iterum manifeſtum fit, Auicennam ſua non ordine aliquo ſcripſiſſe, ſed uniuerſa magis ueluti in chaos quoddam confuſum congeſſiſſe. Cæterū præter hunc confuſum docendi ordinem, a uero quoq; aberrat Auicenna, quod cap. cccxliiij. & cap. Dx. Populum arborem in tertio ordine calidam

lidam aſtruit, quamuis mox capite ccclı. æqualem eſſe in caliditate & ad paucam declinare caliditatem ſcribat, id quod & in Carabe, ut præcedenti errore uiſum eſt, fecit, adeo ſibi ſemper ſimilis eſt Auicenna, hoc nuſquam fere non pugnantia docet. Non eſſe uero Populũ in tertio ordine calidam, teſtatur in primis Paulus Aegineta, qui eam in primo tantum ordine calefacere refert. Ipſa inſuper natura arboris ad tantum caliditatis gradum hanc nõ poſſe extolli monſtrat. Nam quis ſapor, quis odor, quæ demum qualitas tam præcellentis eam monſtrat caloris? Neq; enim multũ odorata, neq; eximio aliquo ſapore prædita, ſed dum guſtatur, primũ quidem modice adſtringit, poſtea amaritudinem quandam ſubobſcuram inuehit, olfacienti quid non inſuaue, uerum exiguum id omnino repræſentat, quæ ſingula non excedere primum ordinem calefaciendo indicãt. Si quis etiam uia regia, quam Galenus in ſuis de Simplicibus Medicamẽtis præſcripſit, incedens experiri eam in corporibus temperatis ægriſq; uoluerit, calefacientem nõ ualde inueniet. Nec eſt quod aliquem moueat uetus ac uulgata illa Galeni traductio, calidam in tertio ordine ſtatuens. Nam cum illa ex Græca ad Arabicam, exq; Arabica in linguam Latinam ſit uerſa, id quod barbara Arabicaq; paſſim capitibus præfixa ſingulis uocabula monſtrant, exigua illi fides erit adhibenda, maxime quando conſtet Arabicam illam traductionem nõ ſemel tantum, ſed fere ſingulis quoq; capitibus multifariam deprauatã eſſe, ſicut patet eandem cum Græca conferenti. Cum itaq; Græcæ lectionis ueritas, Pauluſq; Aegineta, Galeni ſimia, ipſaq; rei experiẽtia, quæ reliquis omnibus præſtat, confirment Populum arborem in primo tantum ordine calefacere, nihil prohibet, quin Auicennam errasse cum ſuis ſtrenue pronunciemus.

ERROR XXVII.

HAllucinatur Serapion plane pueriliter, Oxymyrſinen eſſe arborem ferentem fructum, qui apud Arabes Cubebe nuncupatur, pronuncians.

Serapionis de Cubebe hæc ſunt uerba: Cubebe eſt planta ha- „
bens folia Myrtæ domeſticæ, niſi quia ſunt latiora eis, & ſummita- „
tes eorum ſunt acutæ, ſicut ſummitates lanceæ. Et habet fructũ ro- „
tundum, aliquantulum depreſſum & latum. Inter folia eius reper- „
tum, quod quando maturatur, uergit ad rubedinem inter ipſum „

„ & granum triangulum. Et habet ramulos ſimiles ramis plantæ di
„ ctæ Lauros, egredientes ab una radice ſicut agreſtis, difficile fran-
„ gibiles, longos circiter brachium unum, plenos foliis, & fructus
„ eius ponticus declinans ad rubedinem. Quæ profecto deſcriptio
in uniuerſum conuenit cum deſcriptione ſylueſtris Myrti, quam ὀξυμυρσίνην, id eſt, Acuminatã Myrtum Græci nominant, quem admodum deprehendet, qui eandem cum Dioſcoridis deſcripti
„ one lib. iiij. cap. cxxxvij. quæ talis eſt, contulerit, Μυρσίνη ἀγρία δὲ
„ μὲν φύλλον μυρσίνῃ ἔχει ὅμοιον, πλατύτερον δὲ λογχοειδές, ὀξὺ
„ ἐπ' ἄκρου, τὸν δὲ καρπὸν στρογγύλον ἐν μέσῳ τῷ πετάλῳ περιφερῆ,
„ ἐρυθρὸν ἐν τῷ πεπαίνεσθαι, ἔχοντα δ' ἐντὸς ὀστώδη. κλωνία λυγώ
„ δη, πολλά, ἐκ τῆς ῥίζης αὐτῆς, δύσθραυστα. ὅσον πήχεως, φύλλων
„ μεστά. ῥίζαν παραπλησίαν ἀγρώστει. γευομένῳ στρυφὴν ὑπόπικρον.
„ Quod eſt, Myrtus ſylueſtris Myrto ſimile folium habet, latius
„ tamen, lanceæ figura, in ſummo acuminatum, fructum fert in me
„ dio folio hærentem, rotundum, cum maturuit, rubentem, oſſea
„ intus duritie. Ramulos uitilium modo lentos, numeroſos, ab ipſa
„ radice, non facile frangibiles, cubitali longitudine, foliis plenos.
„ Radicem gramini ſimilem, ſapore acerbo & ſubamaro. Quis itaq;
tam ſtupidus, qui non uideat hic cæcutiſſe Serapionem, ac Cubebas cum Oxymyrſine non ſine magna ignauia confudiſſe, quum tamen arbor Oxymryſine ſit longe diuerſa ab ea, quæ Cubebas profert. Et qui Cubebas et baccas rubẽtes, quas Oxymyrſine producit, nouerunt, facile quantum deceptus ſit ſua coniectura Serapion, iudicabũt. Eſt autem Oxymyrſine arbor, quæ Plinio teſte lib. xxiij. cap. ix. Ruſcus Latine, uulgo uero a Medicis corrupto uocabulo Bruſcus appellatur, ex quo Plinii temporibus, ſicut hodie quoq;, ruri ſcopæ fiebãt. At Oxymyrſinen a Romanis uocari Ruſcum, præter Plinium teſtatur etiam Dioſcorides iis uerbis,
„ ῥωμαῖοι ῥοῦσκουμ καλοῦσι, Id eſt, Romani Ruſcũ nominant. Nunc
in nullo honore Ruſcus eſt, niſi quod in aliquibus locis, ut diximus, ſcopæ ad purganda pauimenta ex eo fiunt. Pueri quoq; rubentes baccas ex foliis eius decerpentes, ceu Coraliis per ludum ſe illis ornant. Ruſtica quoq; gens in carnario ſuſpendit, tuetur eo a murium iniuriis pernas, & caſei ſui fiſcellas. Neq; enim acumina ta in cuſpidem foliorum eius cacumina penetrare animalia illa audent, quam ob cauſam & μυάκανθα, id eſt, murinam ſpinam qui dam dixe

dam dixerunt. Vides hoc loco Serapioni æque ut Auicennæ in herbarum deſcriptionibus parum eſſe fidendum.

ERROR XXVIII.

ERrat magna ætatis noſtræ Medicorum pars, uerã Memithe, quam Dioſcorides Glauciũ uocat, ignorantes, aliis Chelidoniam, aliis Papauer cornutum eſſe contendentibus.

Errare magnam Medicorum partem in Memithe, notius fere eſt, quàm ut demonſtratione egeat. Sunt enim quidam, qui hanc Chelidoniam eſſe adſerunt, in quorum albo eſt Gerardus ille Cremonenſis, & hi quidem cæteris magis cæcutiũt. Nam cum in confeſſo ſit apud om̃es, Memithen eſſe frigidi temperamenti, id quod Auicenna ij. Canon. cap. ccclxxxi. quoq; confirmat, inquiens: Natura Memithe frigida eſt & ſicca in primo, fieri non poteſt, ut ſit Chelidonia herba, quæ Galeno lib. viij. de Simplicib. Medica. cap. clxxij. teſte, in tertio ordine calefacientiũ collocatur. Seducti autem procul dubio boni illi uiri, nominum Memite & Memire uicinitate, quorum hoc Arabis Chelidoniũ, illud uero Glaucium ſignificat. Aut quia deſcriptio Memithe apud Auicennam in multis cum deſcriptione Chelidonii maioris conueniat, quemadmodum eſt ſuccus coloris crocei, cum amaritudine aliqua & odoris grauitate: hæc enim omnia in Chelidonii quoq; ſucco reperiuntur. Sunt alii, qui Memithen eſſe herbam eam dicunt, quam Græci μήκωνα κερατίδα, id eſt, Papauer cornutum uocant. Et eo modo interpretatus eſt quidam magni nominis Medicus, ut iiſce audiui auribus, quotieſcunq; nonum Raſii prælegerat. Iſtos uero nõ minus quam primos errare, conuincũt uerba Dioſcoridis, quæ ſcribit libro quarto, cap. lx. de Papauere cornuto in hanc ſententiã, ἔνιοι δὲ ἐπλανήθησαν νομίσαντες ἐκ ταύτης δ' γλαύκιον γίνεσθαι διὰ τὴν τῶν φύλλων ἐμφέρειαν, Hoc eſt, Decepti ſunt aliqui foliorũ ſimilitudine, falſo crediderũt ex hac fieri glauciũ. Adeoq; uides hũc errorem nõ nuper eſſe natũ, ſed Dioſcoridis ſeculo inualuiſſe. Id Plinius quoq; lib. xx. cap. xix. indicat, dum poſt Ceratidis, id eſt, Cornuti Papaueris deſcriptionem ita ſcribit: Quidam hoc genus Glaucium uocant. Eſſe autem Glaucium id, quod Arabes Memithen appellant, teſtatur utriuſq; deſcriptio, nam per omnia conue

nlunt Glaucio, quæ Arabes Memithe tribuunt. Serapio enim Me
» mithe hunc in modũ deſcribit: Memithe eſt ſuccus herbæ eiuſdem
» nominis, folia habens Papaueri ſimilia, hæc calido cinere cooperi
» untur, & ſic ſuccum emittunt. Alii herbam in ollam mittunt, & cir
» cũliniunt creta, & in furnum feruentem mittunt, & ſic foliis mace-
» ratis ſuccum exprimunt. Eius eſt optimum, quod eſt crocei colo-
» ris intus, & guſtu amarum, & odore graui, miſcetur ocularibus
medicinis. Quæ ſane deſcriptio ferme eadem eſt cum deſcriptione
Glaucij, quam tradit Dioſcorides libro tertio, cap. xcij. dicens:
» γλαύκιον χυλὸς ἐστὶ βοτάνης κατὰ ἱεράπολιν τῆς συρίας γινομέ-
» νης. ἔοικε δὲ αὐτῆς τὰ φύλλα τῇ κερατίτιδος μήκωνος, λιπαρώτε-
» ρα δὲ καὶ χαμαίζηλα, καὶ βαρύοσμα καὶ πικρότερα ἐν τῇ γεύσει. χυ-
» λὸν δὲ ἔχει πολὺν κροκίζοντα. ταύτης τὰ φύλλα βάλλοντες οἱ ἐπι-
» χώριοι εἰς χύτραν, θερμαίνουσιν ἐν κλιβάνοις ἡμιψυχέσιν ἄχρι μαρασ-
» μοῦ. εἶτα ἐκκόψαντες ἐκθλίβουσι τὸν χυλόν. ἐστὶ δὲ ἡ χρῆσις αὐτοῦ
» πρὸς τὰ ὀφθαλμικὰ ἐν ἀρχῇ ψυκτικοῦ ὄντος. Hoc eſt, Glaucium
» ſuccus eſt herbæ naſcentis ad Hierapolim Syriæ. Folia eius Cor-
» nuto Papaueri ſimilia ſunt, pinguiora tamen, humiliaq;, odore te
» tro, & in guſtu amara. Succo eadem abundat, qui croceo colore
» eſt. Eius folia incolæ in fictile conijcientes, in furnis nõ adeo calen-
» tibus, uſq; dum in calore inareſcant, calefaciunt, mox tundentes
» exprimunt ſuccum. Eius uſus in oculorum medicina a principio,
» refrigerandi enim uires habet. Itaq; ex collatione duarum deſcri-
ptionum, nihil differre Glaucium a Memithe, manifeſtum fit. Id
quod Auicennæ quoq; ij. Canon. notificatio confirmat, quæ talis
» eſt: Memithe eſt ſimile glandibus, citrini coloris, ad nigredinem
» declinans. In ipſo eſt amaritudo, & ſubſtantia aquea & terrea, &
» eſt herba maniſeſti odoris, & amari ſaporis, & crocei ſucci. Eſt fri-
» gida & ſicca in primo. Sanat Eryſipilam non fortem. Confert in
» medicinis Ophthalmiæ in principio. Hæc ſane deſcriptio, etſi non
multum a Dioſcoridis euariet, magis tamen congruit cum ea quæ
habetur apud Galenum lib. vi. de Simplicib. Medica. cap. xcvi. in
» hunc modum: Glaucium eſt herba habens adſtringendi uim cum
» delectatione, frigefacitq; & curat Eryſipelata, quando non eſt for-
» tis. Et eius temperamentum conſtat ex ſubſtantia aquea & terrea,
» & ambæ ſunt frigidæ, ſed frigiditas earum non eſt fortis, ſicut eſt
» frigiditas aquæ fontanæ. Plinius etiã lib. xxvij. cap. x. docet Glau
cium id eſſe, quod Arabes Memite appellãt: in nullo enim a Dio

ſcoride

ſcoride uariat, niſi quod hic ſuccum crocei coloris eſſe ait, ille ue- ro granum. Et ut finem faciam, perſuadet hoc quoq; Paulus in ſex to, quando hic Glaucium non aliter, quàm Auicenna ſuum Me- mite refrigerare, καὶ ἐρυσιπέλατα θεραπεύειν τὰ μὴ ἰσχυρά, Hoc eſt, Sacros ignes non admodum ualidos curare aſſerat.

ERROR XXIX.

CAecutiunt, qui Phaſelum legumen, a Phaſeo- lo ſeu Phaſiolo, quod idem eſt Dolicho, diuer ſum eſſe non uident.

Diuerſa eſſe inter ſe legumina, Phaſelum & Phaſeolũ ſeu Pha- ſiolum, primum omnium manifeſtum fit legenti Galenum libro primo de Alimentis, qui de iis tanquam diuerſis leguminibus, na turaq; & figura plurimũ differentibus, in diuerſis etiam capitibus agit. Capite enim xxi. eiuſdem libri, Galenus Phaſelũ ſcribit me- diocritatẽ quandam ſeruare inter ea, quæ boni & mali ſucci ſunt, atq; quæ facile, & quæ difficile concoquuntur: quæ tarde, & quæ cito excernuntur, inter ea quæ inflant & non inflant, quæ parum, & quæ multum nutriunt. Præterea nullam qualitatem efficacem habere ait, ſicut alia habentia ſuccos aut acerbos, aut adſtringen- tes, aut ſalſos, aut dulces, aut amaros. Addit aliquos Phaſelum ma ceratũ donec proueniant radices, ablutumq; in Garo ſubducendi uentrem gratia ante alios cibos ſumere, atq; magis, poſtquã diſtri- butum fuerit, quam Fœnum Græcum alere. Idq; probat ex hiſto- ria cuiuſdã adoleſcentis Alexandrini, qui medicæ arti operam na uans, quotidie pulte ex Phaſelis utebatur, ſanus tamen permanſit, nec deteriorem corporis habitum, quàm antea habuit, nactus eſt. Subſcribit Galeno Paulus Aegineta libro primo, cap. lxxix. in- quiens: Phaſeli ſi macerentur donec radices proueniant, atq; ex Garo ante cibum ſumantur, uentrem ſubducunt; atq; magis quã Fœnum Græcum alunt. Multo autem propius ad Galeni de Pha- ſelis ſententiã accedit Pſellus, qui libro ſecundo de ratione uictus in hunc modum ſcribit: Phaſelos aqua aſpergũt, quoad radicem germenq; ediderint, & ante reliquum cibum manducant ad citan- dam aluum. Garo immerſa nutriũt, ſuccumq; hæc generant, cum bene concoquũtur. Meliora Fœno Græco, mediaq; ſunt inter bo num & malum ſuccum, ſiue concoquantur, ſiue minus, & inter tarda & celeria meatu, multum nutrientia & parum. Phaſeolum

„ uero ſiue Phaſiolum mox idem Galenus cap. xxiiij. tanquam le-
gumen a Phaſelo diuerſum, ſub Dolichi nomine depingit, do-
cetq; Phaſeolos, per quatuor pronunciando ſyllabas, alias dici
Dolichos, ad differentiam eorum, qui per tres ſyllabas Phaſeli ap
pellantur, de quibus antea egerat. Phaſeolum autem eſſe eundem
cum Dolicho, Paulus etiã Aegineta primo uolumine, cap. lxxix.
„ his uerbis confirmat, οἱ δὲ φασίολοι καὶ δόλιχοι καλούμενοι.
„ Quod eſt, Phaſioli, qui & Dolichi nominantur. Vbi in Latina Co
pi traductione Phaſeli falſo legitur (uitio, quantum arbitror, im-
preſſoris) Paulus enĩ met ipſe diuerſitatem inter Phaſelos & Pha-
ſiolos facit, Phaſelos primo inſtar Galeni deſcribens, deinde uerò
„ ſeorſum etiam Phaſeolos dicens: Si integri cum ſiliquis uirideſq;
„ ingerantur, plures ſuperfluitates cumulant. Ita & Galenus, ubi ſu
pra uirides cum ſiliquis comedi teſtatur, quo nomine & Lobos
appellatos eſſe ſcribit. Deſcribit & Dioſcorides Phaſiolum lib. ij.
„ cap. cxviij. hoc pacto, φασίολος φυσώδης, πνευμάτων κινητικὸς,
„ δύσπεπτος. ἑψηθεὶς δὲ χλωρὸς καὶ ἐσθιόμενος κοιλίας μαλακτικὸς,
„ πρὸς δὲ ἐμέτους εὔθετος. Hoc eſt, Phaſiolus inflat, inflationeſq; ex
„ citat, ægreq; cõcoquitur. Si coctus uiridis in cibo ſumitur, aluum
„ mollit, uomitionibus accommodatum eſt. Errat autem & hoc loci
interpres Florentinus, uir alioqui rara eruditione ac multiiuga re-
rum cognitione inſignis, acerrimoq; iudicio præditus, Phaſelum
cum Phaſiolo cõfundens. Ex iis itaq; ſatis conſtat, inter ſe differre
Phaſelum a phaſiolo, quod nõ animaduertentes etiam magni no-
minis uiri, lapſi ſunt. & inter Arabes etiam Serapio, qui ſub Lubiæ
nomine, quod certe a Lobo Græca uoce deflexum eſt, Phaſelos
cum Phaſiolis confundit.

ERROR XXX.

ERrant Medici noſtri ſeculi, Arabes imitantes, Iuiubas & Sebeſten fructus ad uarios medicinæ uſus adhibentes, ad quos ueterum teſtimonio minime conducunt.

Iuiubas. quas Sericas Græci nominant, ad uſum medicinæ nõ conducere, præter cæteros, docet Galenus libro ſecundo de alimentis, cap. xxxi. de Sericis, ubi ingenue fatetur ſe non habere ali

quid

quid de ipſis teſtificari ad ſanitatis cōſeruationem, aut ægritudinū curationem. Sunt enim, inquit, cibus mulierū & puerorum effrenatorum, paucique nutrimenti & indigeſtibiles, ſimul cum hoc quod neque euſtomachū eſt, alimentum palam quod & ipſum dant paucum corpori. Adeoque iis uerbis in uniuerſum damnat in uſu medico Galenus Iuiubas. Quod nō animaduertiſſe Auicennam mirum admodum eſt, qui lib. ij. cap. cclxxi. hæc eadem Galeni uerba citat, inquiens: Et quidem ſermo in eis bonus eſt ille, quem dixit Galenus. Non reperi Iuiubas in conſeruanda ſanitate, et remouenda ægritudine aliquid operantes, ſed reperi eas difficilis digeſtionis, & pauci nutrimenti: & nihilominus paulo poſt, eaſdem conferre pectori atque pulmoni, item dolori renum & ueſicæ adſtruit. At ſolet ubique fere immemor eſſe eorū quæ ſcripſit Auicenna, tantus eiuſdem mentem occupauit lethargus. Præterea nullius eſſe commodi in uſu medico Iuiubas, teſtatur etiam Plinius lib. iiij. de Re Medica, cap. xlvi. de Ziziphis, dicens: Zizipha modicum cibum corpori præſtant, licet illis ſaporis nōnulla gratia lenocinetur. Habent tamen plurima incōmoda, ægre concoquuntur, ſitim accendunt, prægrauant ſtomachum, difficilimum reddunt officium uentris. Ex quibus Plinii uerbis collige tria. Primum, eadem eſſe Zizipha cum Iuiubis: nam hæc Plinii deſcriptio fere nihil a Galeniana diſtat. Accedit etiam, quod Plinius alibi, hoc eſt, lib. xv. cap. xiiij. Zizipha, haud aliter quàm Iuiubas eſſe peregrina, & ex Syria aſportari ſcribit. Secundum, errare Medicos iuniores, qui ad purificandum ſanguinem, ſeu ut illi loquūtur, ad mundificationem ſanguinis Iuiubas adhibent. Qui enim fieri poſſet, ut ſanguinem purificarent, cum uentriculo inutiles ſint, & ad concoquendum difficiles. Et ut penitus obmuteſcere faciamus aduerſarios, ecce cum illorum principe Auicenna eoſdem cōuincamus, qui in capite de Iuiubis ſic ait: Et illorum exiſtimatio, qui putant, quod ipſæ clarificent ſanguinem & lauent eum, eſt exiſtimatio corrupta, ad quam ego non declino, quia magis ingroſſant ſanguinē & uiſcoſum faciunt ipſum. Quid, quæſo, iis uerbis apertius? Tertium, quod ex prædictis colligitur, eſt, quod falſo admodum fructui tribuunt, quæ foliis, radici & cortici arboris ferentis Iuiubas debentur, ſicut eſt mitigare tuſſim, ad ueſicæ dolores conferre. Teſtis eius rei eſt Plinius, qui libro eodem de Re Medica hæc omnia foliis, radici & cortici adſcribit iis uerbis; Folia tamen ipſa contrita & impoſita, Spleneticos & Hydropicos adiuuare certiſſimum

eſt. Radicis & corticis eadem uirtus habetur, quorum ſuccus ex melle coctus tuſſim mitigat, cum mero mixtus, iecori medetur, ueſicam leuat urina largiori. Iſtis ſatis ſuperq; oſtenſum eſt, Iuiubas perperam a iunioribus Medicis ad multa eſſe accommodatas. Reliquum igitur eſt, ut & itidem in Sebeſten contigiſſe demonſtremus. Fructum autem illum, quem Arabes Sebeſten nominant, Paulus ac Plinius Myxam uocãt. Pauli uero hæc de Myxa uerba: Myxa eſt fructus quidem pruno ſimilis, ſed minor eo. Ita Plinius lib. xiij. cap. v. de Prunis in Damaſco monte natis, & Myxis una loquitur, dicens: Item Pruna in Damaſco monte nata, & Myxa, utranq; iam familiarem Italiæ. Ex quibus omnibus facile conſtat, Myxam a Sebeſten nihil differre. Id quod etiam oſtendunt uerba Auicennæ, de Sebeſten ita ſcribentis: Sebeſten & nominatur Mukeita. Quæ ſane dictio corrupta eſt, ac pro ea legendum Myxa. Proprietates autem Sebeſten Auicenna iis uerbis enarrat: Sunt quaſi temperatæ. Sunt lenitiuæ, leniunt enim pectus & guttur. Sedant ſitim, leniunt uentrem. Quæ equidem proprietates omnes, una aut altera dempta, ſunt falſiſſimæ. Nec eñ Sebeſten ſunt temperatæ, ut putat Auicenna, ſed frigidæ & ſiccæ: neq; etiã uentrem leniunt, ſed magis eundem adſtringunt. Id quod teſtatur Plinius, uel quiſquis tandem eius libri author eſt, nec enim eius authoritas reſpuenda, quando non uno loco ſua Hippocraticis ac Galenianis placitis fulciat, lib. iiij. de Re Medica, cap. lvij. de Myxa hunc in modum ſcribens: Hoc nanq; genus manifeſte ſtypticæ uirtutis apparet & frigidæ, quamuis plurima illi de rigore ſiccitas decoquat. Verum & ardores febricitantium extinguit, ore compreſſum, & ſitim mitigat, & in cibo ſumptũ, ſtomachum erigit, ſolutioni uentris obſiſtit. Proinde uideant Medici iuniores, qui Eclegma, ſiue ut ipſi loquuntur, Electuarium de Sebeſten ad ſubducendam aluum conficiunt, quum ex Plinii ſententia ſolutioni uentris potius obſiſtant. At quid multa? Nihil mirum, Arabes ementita ſcripſiſſe, qui utcunq; ſua ex aliorum ſcriptis conſarcinare ſtuduerunt.

ERROR XXXI.

HAllucinantur Medici recentiores, herbam Lichenen a Græcis nominatam, præter omnem rationem Hepaticam uocantes, cum id nominis Eupatorio potius ueterũ teſtimonio ſit tribuendum.

Herbam a recentioribus uocatam Hepaticam, eſſe eam, quam Dioſcorides, Galenus, ac Græci alii Lichenem nominant, facile ex utriuſq; deſcriptionibus deprehenditur. Nam quæcunq; a Serapione ac aliis Hepaticæ tribuuntur, hæc omnia Dioſcorides Licheni adſcribit. Serapionis autem hæc de Hepatica uerba: Hepatica naſcitur in lapidibus humectis, & cadit ſuper eam ros uel gutta aquæ. Virtus eius eſt, quæ infrigidat frigiditate pauca, & deſiccat, & abſtergit. Et emplaſtrũ cum ea factum, abſcindit hæmorrhogiam, & poſita & cataplaſmata etiam ſedat apoſtemata calida, & curat impetiginem, & confert icteritiæ. Hæc deſcriptio in uniuerſum quadrat cum Dioſcoridis, quam tradit lib. iiij. cap. l. ita ſcribens, λειχὴν ὁ ἐπὶ τῶν πετρῶν. οἱ δὲ βρύον καλοῦσι. βρύον ἐστὶ προσεχόμενον ταῖς ἐνδρόσοις πέτραις. οὗτ καταπλασθεὶν αἱμορραγίας ἵστησι, καὶ φλεγμονὰς παραιτεῖται. καὶ λειχῆνας θεραπεύει. ὠφελεῖ δὲ καὶ ἰκτερικοὺς μετὰ μέλιτος λαγχιόμενον. στόματος δὲ καὶ τῆς γλώττης ῥευματισμοὺς παραιτεῖται. Quod eſt, Lichen petris adhærens. Sunt qui Muſcum uocant. Muſcus eſt roſcidis petris adhærens. Hic emplaſtri modo impoſitus, ſanguinis eruptiones ſiſtit, inflammationes compeſcit, & impetigines ſanat. Inungitur idem utiliter ex melle ſuffuſis felle, & in os linguãq; deſtillationes cohibet. Itaq; iam ſatis conſtat Lichenem Græcorum nihil ab Hepatica differre recentiorum. Falſum uero eſt, quod ex iunioribus quidam ſcribunt, hanc ideo Hepaticam dictam, quod hepati maxime proſit. In quorum numero Platearius eſt, qui in eam ſententiã ſcribit: Hepatica eſt herba creſcens in aquoſis & lapidoſis, habet folia minuta, terræ lapidibuſq; adhærentia, & dicitur Hepatica, quia præcipue hepatis eſt iuuatiua. Pandectarius quoq; ex Galeni & Serapionis, ut uidetur, authoritate docet hanc herbam ualere contra lienis hepatiſq; obſtructiones, & cõtra omnem hepatis morbum, cum tamen hi effectus Licheni neq; a Galeno, neq; a Serapione uſquam tribuantur, id quod ex Serapionis uerbis paulo ſupra adductis patuit. Quod autem Galenus nihil tale docuerit, indicant eius uerba de Lichene libro Simplicium Medica. vij. cap. lxx. ubi ita diſſerit: Lichen, qui in petris, quidam Muſcum uocant. Nominatur autem ita, quia impetigines ſanat. Eſt uero huic uis quædam abſtergendi ac refrigerandi atq; ſiccandi. Abſtergendi uero & ſiccandi uirtutem habet a petra, refrigerãdi autem ab aquoſitate: in humidis enim petris naſcitur. Plinius præterea lib. xxvi. cap. iiij.

L

Lichenem deſcribens, nihil, quod cum recentiorum cōueniat ſententia, de ea refert. Sunt uero hæc eiuſdem uerba: Eſt aliud genus Lichenis, petris tantum adhærens, ut Muſcus, qui & ipſe illinitur. Hic & ſanguinem ſiſtit uulneribus inſtillatus et collectiones illitus. Morbum quoq; regium cum melle ſanat ore illito & lingua. Ex his itaq; locis manifeſtum ſit, Lichenem perperam a iunioribus dictam eſſe Hepaticam, quando ueterū teſtimonio hepati nihil conferat. Quod ſi uero quis Lichenem herbam prodeſſe hepati ea ratione contendat, quoniam de ipſa ſcribant ueteres, quod ictericis conferat: morbus autem, qui icterus nominatur, plurimum hepatis uitio oriatur. Is etiam Dioſcoride ac Plinio docentibus, diſcat non intra ſumptam ad uitium ipſum tollendum, ſed extra adhibitam, potius ad colorem natiuum ictericis recuperandum Lichenem herbam a Medicis prioribus commendari. Non eſt uero a ratione alienū, hanc ipſam herbam, quæ, ut ait Galenus, abſtergendo plurimum ualet, ſicuti impetigines, ita alteram cutis in ictericis fœditatem delere. Propterea ſi qua herba eſt, quæ ob excellentem iuuandi hepar proprietatem nomine Hepatica debeat inſigniri, illa profecto eſt Eupatorium, quæ etiam inde apud Græcos uidetur nominata, quod ſit bona hepati. Cuius rei teſtis eſt Dioſcorides, qui libro quarto, capite xxxviij. ita de Eupatorio ſcribit: τὸ δὲ σπέρμα καὶ ἡ πόα μετ' οἴνου πινόμενα ἡπατικοὺς ὠφελεῖ. Id eſt, Bibitur uero ſemen herbaq; ipſa cū uino utiliter iocinoroſis. Hoc etiam confirmat Galenus lib. vi. de Simplicib. Medic. cap. xxxix. inquiens: Eupatorium hepatis obſtructiones expurgat, atq; inſuper hepar corroborat. Non latet tamen Plinium ſcribere Eupatorium ſic dictam ab Eupatore rege, a quo inuenta eſt. Vtcunq; autem ſit, certum eſt, Lichenem ueterum teſtimonio Hepaticam appellari non poſſe.

ERROR XXXII.

ERrat infantiliter plane Auicenna in Volubilis herbæ deſcriptione, nam eiuſdem proprietates cū Hederę proprietatibus manifeſtiſſime cōfundit.

Auicenna cap. Dccxxxv. ſecundi Canonis de Volubili in hanc ſcribit ſententiam: Lac Volubilis magnæ abradit pilos, et interficit pediculos. Folia funis pauperū recentia conuenientia ſunt ulceribus magnis, & conſolidant ea decocta in uino, & ex eis emplaſtrum

plaſtrum factum ſuperimpoſitum aduſtioni ignis, & proprie cum Cerato. Diſtillatur ſuccus eius in aurem doloroſam, & confert ulceribus antiquis. Hæc porro Auicennæ deſcriptio in uniuerſum quadrat cũ deſcriptiõe Hederæ, quæ traditur a Dioſcoride & Galeno. Dioſcorides quippe lib. ij. cap. clxviij. de Hedera ita ſcribit: ὁ δὲ δάκρυον κισσοῦ ψιλοῖ τρίχας, κτείνει φθεῖρας ἐπαλειφόμενον. καταπλάσσεται δὲ τὰ φύλλα πρὸς πᾶν ἕλκος ἑψηθέντα σὺν οἴνῳ, καὶ καταπλασσόμενα. κατακαύματα, κακοήθη θεραπεύει. ὁ δὲ χυλὸς τῶν φύλλων καὶ τῶν κορύμβων, ὠταλγίας καὶ πυόρροοῦντα ὦτα σὺν ἐλαίῳ ἰᾶται. Quod eſt, Depilat Hederæ lachryma, pediculoſq; inuncta necat. (Atq; hic aduerte, Auicennam ineptiſſime lac pro lachryma reddidiſſe) Omnium generum ulceribus folia in uino decocta impoſitaq; ambuſtis, doloſiſq; ulceribus medentur. Succus uero foliorum corymborumq; doloribus aurium & purulentis auribus medetur. Conſimiliter Galenus lib. v. de Simpli. Medica. cap. xxviij. hæc ſingula inſtar Dioſcoridis Hederę tribuit in eum modum ſcribens: Lachryma Hederæ pediculos interficit, capilloſq; deſtruit. Folia eius trita cum Ceroto ambuſtis igne proſunt. Sanant ulcera antiqua iuxta & nares. Plinius quoq; lib. xxiiij cap. x. hæc eadem Hederæ adſcribit, dicens: Succus Hederæ tædia narium graueolentiamq; emendat. Infunditur etiam purulentis auribus aut dolentibus cum oleo. Illinitur decocta in uino omniũ ulcerũ generi, etiamſi cacoethe ſint. Lachryma Hederæ Pſilothrũ eſt, Phthiriaſimq; tollit. Et ambuſtis illinitur utiliter cũ cera. Quis eſt, qui ex iſtis ueterum teſtimoniis nõ aperte uideat, Auicennam Hederæ proprietates cũ Volubilis proprietatibus miſcuiſſe? Sed quid mirum hic lapſum Auicennam, quando et antea in capite de Cuſſos Hederæ etiam uirtutes cum alterius herbæ, quæ Ladonũ fert, uiribus miſcuerit, ut in errato decimoſexto indicauimus. Cæterum annotandum & hoc eſt, Volubilem maiorem dictam, eam eſſe herbam, quæ a Græcis κισσάμπελος, id eſt, Hedera uitealis & Helxine nuncupatur. Hæc autem herba lacte plurimo manat, & aluum cit, haud aliter quàm Scammonia. Deſcribit autem hanc Dioſcorides lib. iiij. capite χκά in hunc modum, ἑλξίνη ἔχει φύλλα ὅμοια κισσῷ ἐλάττονα δὲ καὶ κλωνία μικρὰ περιπλεκόμενα ὅπου ἂν τύχοι. φύεται δὲ ἐν φραγμοῖς καὶ ἀμπελῶσι καὶ σίτῳ. δύναμιν δὲ ἔχει τῶν φύλλων ὁ χυλὸς πινόμενος λυτικὴν κοιλίας. Id eſt, Helxine

,, Hederæ ſimilia folia habet, ramuſculos tamē minores, amplecten
,, tes quicquid cōtigerint. Naſcitur in ſepis & uineis atq; frumento.
Auicenna uero neſciens ueram Hederam diſtinguere a Ciſſampelo ſiue Helxine, mixtis ambarum herbarum natura diſtantiū poteſtatibus, magnam peperit confuſionem: & ſicuti Hederam pro Volubili, ita quoq; lac pro lachryma poſuit, cum tamen ueræ Hederæ lachryma, & non lac uitealis Hederæ ſit, cui tam a Dioſcoride quàm Galeno ac Plinio is datur effectus, quod depilet & pediculos enecet, ut diximus. Præterea cum is error, quemadmodum alii non pauci, ex linguarum inſcitia ortus appareat, cogitent optimi quiq;, q̄ neceſſaria ſit Medico linguarum peritia, qua certe niſi inſtructus medicinam acceſſerit, non eſt quod nō multis errorum labyrinthis inuoluatur. At nō eſt quod moroſis iſtis barbaris perſuadeamus, ut iam ſenes Catonem imitentur.

ERROR XXXIII.

HAllucinatur Meſue, Auicennam ſecutus, deſcribendo Centaurium, maius nanq; præter antiquorum exemplū cum minore confundit, minuſq; in om̄i re præfert, cum tamen multis in rebus maius a ueteribus celebretur, & minoris radix penitus dicatur inutilis.

Meſuen utrunq; Centaurium confundere, certius eſt, q̄ ut demonſtratione egeat. Sed ut iis ſatisfiat, qui authorem hunc mordicus tenent, quiq; eundem ab omni errore immunem arbitrantur, age hominem ſuis uerbis conuincemus, quæ libro ſuo de Simpli
,, cibus Medicamentis ſcribit in hunc modum: Centaurea alia ma
,, ior, alia minor, inter quas diſtinguūtur proprietates notæ. Minor
,, melior eſt in omni re, & melior pars plantæ ſunt flores & ſemina
,, ipſius. Calidæ complexionis & ſiccæ in ſecundo eſt. Et eſt compo
,, ſita ex partibus terreis aduſtis, in parte dantibus ei amaritudinem,
,, & ex partibus nō aduſtis cum permixtione aquoſitatis, a quibus
,, ineſt ei ſtipticitas. Et eſt in ea de dulcedine aliquid a partibus aereis
,, Et in ipſa eſt ex acredine aliquid a partibus igneis. Et amaritudo in
,, ea plus eſt ſtipticitate ipſius, & ſtipticitas plus dulcedine & acredi
,, ne, & acredo in ipſa eſt remiſſa ſine mordicatione. Quare eſt ex

maxime

maxime curantibus uulnera. Immo ipſa eſt abſterſiua, exiccatiua conſumptiua ſuperfluitatum, et ſolutiua uentris. Hactenus Meſue qui in uniuerſum Auicennam ſecundo Canone de Centauria ſcribentem imitatus eſt. Ex quibus ſane uerbis manifeſtiſſimũ fit, Meſuen utrãq; Centauriam confundere, nam de utraq; tanquam de una loquitur. Etſi enim primo eandem in maiorem & minorem diuidat, tamen mox earundem mixtis proprietatibus, tanquam de una loqueretur, earum hiſtoriam confuſiſſime tractat. Quod autem nõ de una tantum agat, ſed confuſim de utraq;, id ueterum teſtimoniis oſtendemus. Nam primum omniũ quod Centaurio ineſſe amaritudinem & ſtipticitatem ſcribit, hoc certe de minori intelligendum erit. Id enim propter amaritudinem aliqui Fel terræ nominarunt. Quod indicat Plinius lib. xxv. cap. vi. ita ſcribens: Hoc Centaurion noſtri Fel terræ uocant, propter amaritudinem ſummam. Galenus etiam lib. vij. de Simplicib. Medica. cap. xvij. iſta Centaurio minori conuenire docet, in eam ſententiam diſſerens: Dominatur in eo amara qualitas modica ſtipticitate participans, & propter hoc temperamentum exiccans fortiter, eſt medicamentum ſine mordicatione. Quod uero deinceps Meſue Centaurio ineſſe dulcedinem cum acredine ait, hoc equidem maiori accommodari debet. Nam ut minor ob amaritudinem Fel terræ uocatur, ita maior ob dulcedinem Mel terræ appellari poteſt. Id quod teſtatur lib. iij. cap. vij. ita de maiori Centaurio ſcribens, ῥίζα, παχεῖα. στερρά. βαρεῖα. ποδῶν πήχεις δύο. μεστὴ χυλοῦ. δριμεῖα μετὰ ποσῆς στύψεως καὶ γλυκύτητος. Hoc eſt, Radix illi denſa, dura, ponderoſa, longitudine ad bina cubita, ſucco plena, ſapore acri cum adſtrictione, dulcedineq; aliqua. Et cõfirmat Galenus lib. vij. Simplicium Medicamentorum, cap. xvi. ita docens: Secundum guſtum enim acris ſimul et ſtiptica apparet cum quadam dulcedine. Plinius quoq; ubi ſupra inquiens: Radix uaſta, rubeſcens, tenera, fragiliſq;, ad bina cubita, madida ſucco, amara cum quadam dulcedine. Verba autem Meſue quæ ſequuntur, quod ſcilicet ſit in ea acredo remiſſa ſine mordicatione, iterum de minori, ut diximus, intelligũtur. Quod uero poſt ait, quare eſt ex maxime curantibus uulnera, id maiori aptari debet. De eo enim ſic ſcribit Dioſcorides, ἡ ῥίζα ἐστι δὲ καὶ τραυματική. στύφει γὰρ καὶ κολλᾶ, καὶ τὰ ἑψόμενα δὲ κρέα συνάγει, ἐάν τις αὐτὴν κόψας συνεψήσῃ. Id eſt, Radix eius utilis eſt uulneribus. Conſtipat enĩ & glutinat,

,, carneſq; elixas cogit, ſi quis ipſam contundens ſimul decoxerit.
,, Quod & Plinius confirmat, dicens: Vis in uulneribus tanta, ut co
,, hæreſcere etiam carnes tradāt, ſi coquantur ſimul. Præterea quod ſubiicit Meſue, Immo ipſa eſt abſterſiua, exiccatiua, conſumptiua ſuperfluitatum, & ſolutiua uentris, hoc minori Centaurio tribuūt ueteres. Id quod facit Dioſcorides, hunc in modum ſcribens,
,, ἀφεψηθῖσα δὲ καὶ καταπινομένη ἄγει κατὰ κοιλίαν χολώδη καὶ
,, παχέα. Quod eſt, Potum decoctum eius per inferna birioſa trahit
,, & craſſa. Galenus etiā inquit: Decoctionem huius herbæ iniiciūt
,, quidā iſchiadicis, ceu educentem bilioſa et craſſa. Quid porro iam notius, quam Meſuen utriuſq; Centaurii uires miſcuiſſe? adeo ut nemo etiā, licet oculatiſſimus ſit, citra ueterum ſcripta iſtas diſcernere, ac cuilibet ſuas adaptari poſſit. Hinc factum eſt, ut Centaurium maius noſtro æuo fere omnibus incognitum ſit, quando paſſim in officinis ſolius minoris uſus ſit, non ſine magno errore. At ſolent hoc pacto per authorū inſcitiam non pauca intercidere, quæ certe ſi ueteres ac probatiſſimos authores, ſicut barbaros et indoctos iſtos ſpermologos legere curaſſemus, minime iam nos laterent. Poſtremum, quod Meſue Centaurium minus præfert maiori, iterum exemplo Auicennæ facit, quem ferme in omnibus ſe-
,, quitur: Is enim ſecundo Canonis de Centauria ita ſcribit: Sed mi
,, nor eſt magis iuuatiua ad omnia illa. Verum hoc quoq; præter antiquorum exemplum factum eſt, qui cuiq; ſuas uires ſeorſum tribuerunt, nec unum alteri prætulerunt, quemadmodum uidere licet apud Dioſcoridem atq; Galenū, qui certe præter alia radicem quoq; Centaurii minoris inutilē, ac nullius in re medica uſus eſſe
,, ſcribunt. Dioſcoridis enim hæc uerba, ῥίζα μικρὰ ἄχρηστος. Quod
,, eſt, Radix parua, nullius uſus. Galeni uero illa: Centaurii minoris
,, radix quidem omnifariam inutilis eſt. Id quod & Plinius docet, in
,, quiens: Centaurium minus radice tenui & ſuperuacua. Videant hic medici iuniores, quantū cæcutiant, quantumq; a uero aberrēt, hi enim non ſolum ignorant Centaurium maius, uerum etiam radice minoris utuntur in uſu medico, quæ tamen omniū ueterum teſtimonio penitus inutilis ac ſuperuacua eſt. Ita barbarorum inſcitia uniuerſus medicinæ decor periit, quem faxint Superi, doctorum omnium ſtudiis recuperemus.

Error

ERROR XXXIIII.

ERrant Arabes, Auicenna maxime & Serapio, Armenum & Lazuli lapides ſimul eodem capite confundentes.

Auicennam ſub uno eodemq; capite Armenum lapidem cum Lazuli confundere, ex eiuſdem uerbis manifeſtum fit. Is enim libro ſecundo, cap. lvij. de lapide Lazuli ita ſcribit: Virtus eius eſt ſicut uirtus eius, quo adhæret aurum, debilior parum eſt. Hæc aũt nõ de lapide Lazuli a ueteribus ſcribuntur, ſed de Armeno dicto lapide. Id quod in primis teſtatur Dioſcorides, qui lib. v. cap. lix. de Armeno lapide ita tradit, τὰ ἀυτὰ ποιεῖ τῇ χρυσοκόλλῃ, πλὴν τὴν εὐτονίαν μόνον λειπόμενον ἀυτῆς. Id eſt, Præſtat eadẽ quæ Chryſocolla, uiribus tamen ea infirmior. Hoc etiam confirmat Plinius. lib. xxxv. cap. vi. inquiens: Armenia mittit, quod eius nomine appellatur. Lapis hic quoq; Chryſocollæ uiribus ſimilis. Subiicit poſt hæc Auicenna de lapide Lazuli: Ineſt ei uirtus eradicatiua, putrefactiua, & abſterſio eius cum acuitate & ſtipticitate pauca. Quæ certe a Galeno lib. ix. de Simplicib. Medica. tracta. iij. cap. ij. lapidi Armeno tribuuntur, dum ait: Habet uires abſtergentes cum acredine, & pauca quadam adſtringendi facultate. Quod autem addit Auicenna: Bonos efficit pilos palpebrarum, & prolongat eos, & eſt ultimum ſicut dicitur in illo, propter proprietatem quæ eſt in ipſo, & dicitur propterea, quia ipſum euacuat humores malos, prohibentes oriri pilos, hoc itidem lapidi Armeno, et non Lazuli adaptari debet. Ita enĩ de eo Dioſcorides ſcribit, ἔστι δὲ καὶ τῶν ἐν βλεφάροις τριχῶν ἀυξητικόν. Quod eſt, Facit ad alendos in palpebris pilos. Galenus quoq; haud aliter quàm Dioſcorides iſta lapidi Armeno cõuenire docet, ita ſcribens: Quum igitur tali natura præditus ſit, miſcetur medicaminibus oculorum, ipſum quoq; ſeorſum terentes, & in puluerem quodãmodo redigentes, utuntur ſicco ad augendos pilos palpebrarũ, quando ob humorum acredinem quidam ex ipſis decidunt, quidam non augentur neq; nutriuntur. Nam ubi huiuſcemodi humorum acrimonia fuerit conſumpta, ad naturalem habitũ palpebra reſtituitur. Ex his itaq; clarum eſt, quod quæcunq; fere de lapide Lazuli refert Auicenna, eadem omnia a Græcis authoribus Armeno lapidi tribui. In eundem uero errorem lapſus eſt & Serapio, hic enim lapidem

Lazuli notificans, eiuſq; poteſtates exponens, non alia refert, quã
,, quæ de lapide Armeno Græci tradunt. Ait enim: Virtus eius eſt
,, ſimilis glutini auri, niſi quia eſt debilior eo, & facit naſci pilos in
,, palpebris. Hanc autem deſcriptionem non conuenire lapidi La-
zuli, ſed Armeno, in ſuperioribus oſtenſum eſt. Quod uero Aui-
cenna de lapide Lazuli ſcribit huic ineſſe uirtutem eradicatiuam et
putrefactiuam, id uerum equidem eſt. Nam ea proprietas peculia
ris eſt huic lapidi, qui ab Arabis Lazuli, a Græcis uero Cyanus di
citur. Teſtis Dioſcorides, qui libro quinto, cap. lx. de eo ita ſcribit:
,, κυανὸς δύναμιν δὲ ἔχει καταςαλτικὴν, καὶ μετρίως σηπτικὴν, ἐσχα
,, ρωτικήν τε καὶ ἑλκωματικήν. Hoc eſt, Cyanus ſeu Ceruleus uim
,, habet reprimendi, leniter putrefaciendi, exulcerandi, ac cruſtas
,, ignis modo inducendi. Proinde ſatis conſtat Auicẽnam, ut in ple-
riſq; aliis, ita & in hoc lapide rerũ differentias miſcuiſſe. Et niſi hoc
fateantur aduerſarii, numen eorum Auicennam in grandius erra
tum incidiſſe cõuincemus, nimirum quod ſibi pugnantia in uno
eodemq; capite ſcripſerit. Si enim de uno tantum lapide tractat,
quomodo conuenient, eundem habere uirtutem eradicatiuam, et
nutriendi pilos? nam uirtute eradicatiua, quæ eſt innata ipſi, nullo
pacto nutrire & producere capillos poteſt, ſed eoſdem magis ex-
tirpat atq; radicitus perdit. Inſuper ne hoc prætercam, ſi hic lapis
putrefaciendi uim habet, ſicut Auicẽna atq; Dioſcorides fatentur,
omniaq; eam uim habentia a Medicis, Galeno præſertim, inter ue
nena cõputentur, quo pacto ãb exitiali errore ſe uindicabunt no-
ſtri temporis Medici, hunc lapidem, qui non minus uenenum eſt,
ą̃ quod uulgus Cenabrium uocat, in catapotiis deuorandũ quod
die præbentes? Nullius em̃ ueteris authoritate ſeſe tueri poſſunt,
quando nemo ex Græcis authoribus Cyanum lapidem in pilulis
purgandæ atræ bilis gratia deuorari docuerit. Nec Arabum ea in
re ſatis eſt authoritas, quando luce clarius ſit, illos eorundem lapi-
dum proprietates miſcuiſſe, atq; adeo quod docent lapidi Lazuli
ineſſe uirtutem atræ bilis purgandæ, hoc falſum admodum eſt, ea
enim proprietas doctiſſimi Alexandri Græci teſtimonio Armeno
debetur lapidi. Hinc cum Arabes unius uires ac proprietates in al
tero notent, conſequitur illis parum aut omnino nihil eſſe fiden-
dum. Itaq; caueant poſthac omnes uere ac candide docti a lapidis
Lazuli uſu, quando is putrefaciendi ac exulcerandi uim habeat,
atq; hoc nomine merito inter uenena connumerandus.

Error

ERROR XXXV.

HAllucinantur inſigniter, nec ſine magno multorum periculo, Medici iuniores, qui in Cantharidum exhibitione alas, tanquam reliquis partibus magis peſtiferas, abiiciunt, cum iuxta ueterum placita pedes potius proiiciendi ſint.

Non arbitror eſſe aliquem, qui ignoret noſtræ ætatis Medicos in Cantharidibus propinandis omnes ex æquo proiiciendas eſſe alas docere, idq; quantum cõiectura aſſequi poſſum, Arabum aut eoſdem male interpretantium præſcripto factum eſt, quando paſſim in iſtis, dum Cantharides exhibẽt, ſcribatur abiicere oportere alas & caput. Id quod maxime liquet legenti Razam libro nono ad Almanſorem, capite de mingendi difficultate, & Auicennam Fen xix. lib. iiij. tractat. ij. cap. vij. & paſſim alibi. Quantũ autem ea in re errauerint boni illi uiri, aut certe eorundem interpretes, ſatis patebit huic, qui Cantharidum uires atq; naturam iuxta ueterũ deſcriptionem expenderit. Illi enim ex profeſſo docent, alas maleficio Cantharidum eſſe remedio, atq; hoc nomine minus abiiciendas. Teſtis eſt in primis Dioſcorides libro ſecũdo, cap. liij. dicens, ὁι δὲ τὰ πτερὰ αὐτῶν καὶ τοὺς πόδας ὡς ποιοῦσιν αὐτὰς ἀντιφάρμακον ἀνέγραψαν. Quod eſt, Retulerunt pleriq; alas & pedes Cantharidum cõtra earundem maleficia remedio eſſe. Quamuis uero Dioſcorides id ex aliorum potius ſententia quã propria ſcribat, ita tamen eſſe poſt eum Plinius lib. xix. cap. iiij. manifeſtiſſime indicat, ſic ſcribens: Ipſarum Cantharidum uenenum in qua parte ſit, non conſtat inter authores. Alii in pedibus & capite exiſtimant eſſe, alii negant. Conuenit tamen pennas earum auxiliari, in quacunq; parte ſit uenenum. Hinc eſt quod Hippocrates libro quarto de uictu morborum acutorum, Aph. cxiiij. in curatione aquæ inter cutem, non alas, ut noſtri ſeculi Medici, ſed pedes & caput proiicere doceat. Eius enim hæc ſunt uerba: Cantharides tres, abiectis pedibus & capite, terũtur in aquæ cyathis tribus &c. Vbi antiquus interpres non ſine errore reddidit in ſua traductione, Auferens caput & pedes & alas. Proinde utcunq; de pedibus adhuc diſſentiant authores, conuenit tamen inter omnes, ut ex Plinii authoritate diximus, alas eorundemq; maleficio medicari, atq; ob id

minime proiiciendas. Vides iam, quantũ in manifeſtiſſimis etiam cæcutiant Medici iuniores. Hinc factum, quod non raro eiſdem Cantharidum uſus male ceſſit, ita ut Cantharides ſua ui erodendi ſæpius ſanguinẽ promanare fecerint. Quod ſi uero alas, quæ huic maleficio remedio ſunt, nõ abiectas uoluiſſent, forte nihil horum conſecutum uidiſſent. Quamuis ſi me audierint, in uniuerſum ab exhibitione Cantharidum abſtinebunt Medici. Verum utcunq; moneas, fruſtra uereor moneas, quando errore penitus obſtinati obſurduerint.

ERROR XXXVI.

ERrat Pandectarius, Alibium herbam Eryngiũ interpretãs, cum illa ſit uerius, quam Græci Bubonion, Latini uero Inguinariam uocant.

Author Pandectarum in litera A. Alibium falſiſſime pro Eryngio interpretatur, quando ſit ea uerius herba, quæ Inguinaria Latinis dicitur. Id quod in hunc modum oſtendimus. Cum Arabis Aliben uel Alhalibẽ ſit inguen, aut abſceſſus qui fit in inguinibus, hoc quod etiam Pandectarius fatetur, conſequitur neceſſario, ut Alibium ſit Inguinaria herba, quæ id nominis ſortita eſt, ꝙ proſit inguinibus. At quid opus multis in re omnium apertiſſima? Annotandũ tamen, eandem herbam alio nomine a noſtris appellari Stellariã, a poſitura & forma, quibus ſtellæ modo radiatur. Græci uero non ſolum a foliorũ ſitu & figura ἀστέρα, ſed etiam, quoniam inguinibus, quæ Bubones illi appellant, tam pręſenti remedio medetur, ut adalligata tantum medicinam in eo malo homini faciat, Bubonium uocarũt. Id quod teſtatur in primis Paulus Aegineta his uerbis, ὁ δὲ ἀττικὸς ἀστὴρ ἡ πόα ἣν καὶ βουβώνιον δι' αὐτὸ καλοῦσιν οὐ μόνον καταπλαττόμενον ἀλλὰ περιαπτόμενον ὠφελεῖν πεπίστευται. Id eſt, Atticus autem Aſter herba, quam Buboniũ, id eſt, inguinalem ob hoc ipſum uocant, nõ tantum emplaſtri modo impoſita, uerũ adalligata etiam prodeſſe creditur. Deſcribit uero & Dioſcorides hanc herbam libro quarto, cap. cxi. in hũc modum, ἀστὴρ ἀττικὸς, πορφυροῦν ἢ μήλινον, ὥσπερ ἀνθεμίδος κεφάλιον περισχιδές. ἔχει δὲ φυλλάρια ἀστέρι ὅμοια, τὰ δὲ περὶ τὸν καυλὸν φύλλα ὑπομήκη καὶ δασέα. Quod eſt, Aſter Atticus lignoſus caulis, in

lis, in ſummo habens florem purpureum & luteum, ueluti Chamæniali capitulum, undiq; per orbem in ciſuris diuiſum. Folia autem habet ſtellæ ſimilia, quæ uero circa caulem folia oblonga & denſa. Haud diſſimiliter eandem depingit Plinius lib. xxvij. capite quinto, inquiens: Aſter ab aliquibus Bubonion appellatur, quoniam inguinum præſentaneū remedium eſt. Cauliculus foliis oblongis duobus aut tribus, in cacumine capitula ſtellæ modo radiata. Præterea non prætereundū, quod apud Auicennam ſecundo Canonis, cap. xxvij. falſo ſcribatur Atratiſus, pro Aſter Atticus, ita fere omnia herbarum nomina apud eundem corrupta ſunt. Verum hic finem de hoc Pandectarii errore faciamus, cuius equidem hominis errata uniuerſa ſi quis proſequi uellet, nunquam finem ſortiretur, adeo omnes fere paginæ erroribus ſcatent. Nos tamen cogitamus aliquando conſcribere Pandectas omniū earum rerum, quæ ad Græcam Latinamq; medicinā ſpectant, ut tandem conſulatur iis, qui mendaciſſimi hominis Pandectarii interpretationibus ſeducuntur. Atq; hic primi Tomi, continentis ea quæ ad plantarum ac Medicæ rei notitiam attinent errata, finis eſto.

TOMVS SECVNDVS, ERRORES CONTINENS, qui ad Medendi Methodum attinent.

ERROR XXXVIII.

PErperam Medici recentiores Auicēnam ſequentes, in interiorum membrorum ac uiſcerum inflammationibus uenam, quæ ex oppoſito eſt lateris affecti, incidendam contendunt, cum potius ueterum omnium teſtimonio, ac ratione ipſa aſtipulante, ea quæ e directo eſt, ſit ſecanda.

Auicenna Fen prima, Canon. iij. tractat. i. cap. xxix. uidetur eius erroris eſſe author, dum inter cætera ſic ſcribit: Et oportet ut fiat phlebotomia earum in contraria parte doloris. Quem errorem & paſſim in tertio libro, ubi morborum curationes tractat,

ſequitur. Errori huic obnoxii ſunt & Arabes alii, ut in eorundem libris uidere licet, quos totus iuniorum Medicorum chorus imitatus eſt. Sed quantũ ea in re a ueritatis tramite deuiauerint, lucidiſſime oſtendemus. Primum igitur omniũ peruerſam hanc Arabum atq; recentiorũ opinionem ueterum authoritas explodit atq; conuincit, qui in omnibus interiorum uiſcerum inflãmationibus uenam, quæ e directo loci affecti eſt, ſecandam docẽt. Id quod in primis facit Hippocrates lib. iiij. de uictus ratione in morbis acutis, Aph. lxvij. de curatione Pleuritidis & Peripneumoniæ agens, ubi in hanc ſcribit ſententiam: Si dolor ad ſuperiores partes extenditur, ut iugulum, mamillam, brachium, internam brachii uenam ſecare oportet, ab eo uidelicet latere, quod dolore fuerit affectum. Idem docet Hippocrates libro primo de morbis, ubi iterũ de Pleuritide & Peripneumonia loquitur, ita inquiens: Lienarem uenam manus huius, uel iocinoralem pertundere conferet, qua morbus fuerit, ſicq; dolor lateris aliorumq; lenitur. Quod uero de Pleuritide dixit, hoc in uniuerſum de omnibus omnium interiorum membrorum inflammationibus intelligendum uenit. Id quod idem Hippocrates ſexto Epidemiorũ libro confirmat, inquiens, ὀδυνέων τὴν ἐγγύτατα κοιλίην. καθαίρειν. αἵματος δὲ κοιλίην διαιρεῖν. Id eſt, Dolorum proximum uentriculũ purgare, ſanguinis autem uentriculum diuidere ſeu ſecare conuenit. Horum autem omniũ cauſſam reddit Galenus libro de conſtitutione artis medicinalis, cap. vij. dicens: Quoniam ex uicinioribus & cõmunioribus patienti particulæ uenis, fit euacuatio & optima & facilis. Accedunt huic ſententiæ & ea, quæ ſcribuntur per eundem Galenum libro de phlebothomia in hunc modum: Reuulſio e directo facta, euidens iuuamentum celeriter oſtendit, at econuerſo nequaquam. Magnifice eñ opitulatur ſpleni male affecto, ſanguinis ex ſiniſtra manu euacuatio. At uero deinceps & in Pleureticis uenæ ſectio e directo lateris affecti facta, præſentiſſimam utilitatem ſæpenumero oſtendit, ex oppoſita autem manu, uel non magnam, uel certe tardam, doloreſq; oculorũ uehementiſſimos ſæpe infra unam diem ſedauit e directo miſſus ſanguis. Et paulo poſt: Adeo uero euidentem utilitatem & interdum etiam repente affert uenæ ſectio e directo affectarum partium facta, ut & ægrotantes ipſi & eorum neceſſarii plerunq; ſtupidi maneant. Idem quoq; xiij. Therapeuticæ Methodi, cap. v. quærens per quæ loca ſanguis mitti debeat in inflammationum principio, ait: Satius igitur ſit, ubi partes quæ in

ore ſunt

ore ſunt, phlegmonem accerſere cœperint, deriuare ad nares. Pari modo uenam quoq;, ubi hæ partes ſic laborant, incidere humeralem in manu. Si ea nō cernitur, mediam. Vbi iecur, pectus, pulmo aut cor ſic afficiuntur, internam. In angina primas in manibus, ſecundas eas quæ ſub lingua habentur. At iis quæ in occipite ſunt ſic afflictis, etiam eam quæ in cubito eſt, necnon eam quæ habetur in fronte. Renibus uero & ueſica, & pudendo & utero ſic habentibus, eas quæ in cruribus ſunt ſitæ, ac potiſſimum quæ circa poplitem ſu nt. Sin minus, eas quæ iuxta malleolum. Ac perpetuo quidem in omnibus quæ e directo eſt. Vbi iecur phlegmone inuadit, quæ in dextra ſunt manu: ubi lienem, contra. Item Galenus libro ſecundo ad Glauconem, capite ſeptimo prædicta cōfirmat, ita docens: Et ſi quidem dextra uteri pars affecta fuerit, a dextra manu & crure detraxeris ſanguinem. Siniſtra autem affecta, a membris quæ illi e directo ſunt. Idem agit in libro de Præſagio experimento confirmato, inquiens: In Pleuriticis in rectum languentis ex uena ſanguinis detractio utilitatem frequenter magnam ac euidentiſſimam oſtendit. At ex oppoſita manu, aut prorſus obſcuram, aut expectabilem. Iſtis Hippocratis & Galeni teſtimoniis quid apertius? quid deniq; euidentius? adeo ut nullus ſanæ mentis hic tergiuerſari poſſit. Nec eſt ꝙ aliquem moueat author libri, uulgo uocati Paſſionarii, ſub Galeni nomine libro ſecūdo, capite de pleuritide, diuerſum tradens. Librū enim hunc conſtat nō eſſe Galeni, quod hoc argumento colligimus. Author eius libri, quiſquis tandem fuerit, cap. xxvi. libri ſecundi citat Oribaſiū Medicum, quem quantum ex hiſtoriis deprehendi poteſt, plus q̄ centum & uiginti annos poſt Galenum uixiſſe certum eſt. Sub Iuliano enim Imperatore floruit Oribaſius, id quod præter eius monumenta, quorum aliqua ſuperioribus diebus in lucem prodierunt, lepidum etiam hoc Epigramma teſtatur.

Ἰητὴρ μέγας οὗτος Ἰουλιανοῦ βασιλῆος
 ἄξιος εὐσεβίης δῖος Ὀρειβάσιος.
εἶχε γὰρ οἷα μέλισσα σοφὸν νόον, ἄλλοθεν ἄλλα
 ἰητρῶν προτέρων ἄνθεα δρεψάμενος.

Iuliani Medicus celebris qui Cæſaris olim
 Dignus erat cultu diuus Oribaſius.
Huic opibus tanquā ſapiens animus, quia carpit
 Flores, quos Medicus priſcus ubiq; tenet.

Galenus uero, Suida teſte, ſub Marco Antonino, Commodo & Helio Pertinace uixit. Proinde fieri non potuit, ut eum in ſuis libris citaret, quem multis ſeculis poſt eiuſdem mortem in lucem prodire primum contigit. Hinc mirum in modum cæcutiunt, qui manifeſtiſſimam hanc coniecturam nō animaduertentes, Galeno Paſſionarium adſcribunt. Præterea ex iſtis ſatis apparet, recentiorum ac Arabum opinionem ex Diametro cum optimorum ueterumq; Medicorum placitis pugnare, adeoq; hoc nomine merito a doctis damnandam. Verum, ut proteruis iſtis ac mire moroſis Sophiſtis ſatisfiat, ueterum etiam ſententiam ratione roboremus, ut non ſit aliquis ſubterfugiendi locus, quin falſam illico, pernitioſamq; eſſe Arabum opinionem fateantur. Itaq; Adamantina illa Galeni ratio prima ſit ad hunc conuincendum errorem, quem do-
» cet lib. iij. de Potentiis naturalibus, cap. xiij. ita ſcribens: Quando
» ex corporis partibus aliqua ob quamuis diſpoſitionem facta fue-
» rit imbecillior, ex omnibus aliis ad ipſam confluere ſuperfluitates
» eſt neceſſarium. Nam quæ fortior eſt, reponit ad uiciniores, atq;
» harum quæq; ad alias quaſdam imbecilliores, deinde rurſus harū
» unaquæq; ad alias, & hoc tam diu fit, donec ex omnibus pulſa ſu-
» perfluitas in aliquam unam imbecilliorē partem decubuerit. Hinc
» enim nō poteſt amplius defluere, quum nulla ex iis quæ fortiores
» ſunt, poſſit ab imbecilliori recipere, neq; illa quæ patitur, a ſe ipſa
» repellere. Si itaq; hæc Galeni uerba uera ſunt, ut certe ſunt uerifſima, conſequitur in interiorum uiſcerum inflammationibus nulla opus eſſe humorum, quæ per diſtantiſſima fit retractione, uel ex oppoſito, ut noſtri loquuntur, diuerſione, ſed mox ſecanda uena quæ affecto lateri eſt uicina ac cōmunis. Nam ad locum affectum, tanquam ad partem imbecilliorem, omnes reliquæ partes uti fortiores, ſuas ſuperfluitates repoſuerunt, ob id in oppoſita parte aut multum diſtante nulla eſt ſuperfluitas, quæ poſſit ultra ad affectam partem defluere, gratia cuius retractio uel diuerſio fieri debeat, cū tota ad affectam partem, quæ in uniuerſo fuit corpore, ſuperfluitas defluxerit. Dato autem, quod nondum uniuerſæ corporis ſuperfluitates in ægram partem decubuerint, nihilominus tamen uena in affecto latere ſecanda eſt, quandoquidē Medicus ſemper id, quod magis urget, auferre debet. Magis autem urgent humores, qui præter naturam iam ad ægram partem fluxerūt, dolorem enim ac tenſionem ingentem procreant, q̄ qui in oppoſita parte ſunt, ob id etiam auferendi primum; at non aliunde commodius,

niſi ex

niſi ex uena lateris affecti, communitatem cum loco affecto habente. Non eſt autem quod nobis obiiciant aduerſarii, ob commotionem humorum, quæ fit per uenæ in latere affecto ſectionem, maiorem ad partem affectam fieri humorum curſum. Currunt equidem atq; fluunt humores, at nō in partem ægram, ſed foras, quod utile eſt, ac minime præter naturam. Quod nō in partem ægram, quomodo nanq; pars imbecillior traheret a fortioribus? quando Galeno eodem loco referente, duobus æqualiter eſurientibus nō ſubtrahit manu panem alter alteri, niſi ualentior. Trahendū uero q̄ maxime foret, cum in fortioribus nulla ſit ſuperfluitas, quam ſua ſponte reponant. Itaq; cum fortiores non poſſint ab imbecillioribus partibus recipere, quandoquidem in illis nullus ſit defectus ut attrahant, nec affecta a ſe, tanquam reliquis imbecillior, repellere: alias enim a debiliori in fortius fieret actio, quod naturæ impoſſibile eſt: reliquū eſt, ut Medicus id quod in partem ægram defluxit euacuet, non autem alio pacto poteſt, niſi ut uenam e directo latus affectum reſpicientem, communitatemq; cum ægra parte habentem incidat. Hoc enim modo per ea loca, per quæ natura commode ſineq; detrimento tendit, ſimul totum corpus & uniuerſa ſuperfluitas, quam illuc omnes corporis partes repoſuerunt, euacuatur, pariterq; pars inflammata, eiuſq; propria uena nō ſolum euacuatur, ſed & celerrime, & in aduerſum defluxionis ſiue retrahendo. Quæ euacuatio iuſte Antiſpaſtica dicitur, ſimul enim euacuat & retrahit. Adeoq; in uniuerſum uerum eſt, quod ab Hippocrate parte prima Aphoriſmorum dicitur, ἃ δεῖ ἄγειν ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων. Quod eſt, Quæ ducere oportet, quo maxime natura uergit, eo ducere per loca conferentia oportet. Sed iterum obtrudent Sophiſtæ. In euacuatorū locum alii ſuccedūt humores, ergo augetur fluxus. Neutrum fieri oportet. Si enim ſolus exceſſus tollatur in eius locum, non fluet humor euacuationis ratione, quoniā neq; in tranſmittentibus eſt exceſſus ut pellant, quando iam omnem ſuperfluitatem in ægram partem repoſuerint: neq; in recipiētibus eſt defectus, ut attrahant, illuc enim omnes omnium partium ſuperfluitates decubuerunt. Detur tamen, quoniam fieri poteſt, ut alii humores in euacuatorū locum ſuccedant, uicinis uenis uehementer uacuatis, iam fluent humores, fateor, ſed non præter naturam, quoniam neq; mali: deteriores enim per uenæ uiciniorís ſectionem euacuati ſunt: neq; multi, phlebotomiæ ſaltem ratione, cum ſit parcitas ſanguinis in

Aph. xxi.

toto corpore, omniũ enim partiũ corporis ſuperfluitates in ægrã partem repoſitæ euacuatæ ſunt, atq; adeo in iis nihil ſuperfluum. Si nihil ſuperfluum, conſequitur neceſſario parcitatem eſſe in uniuerſo corpore, eam ſcilicet, quæ pro partium nutrimẽto ſufficiat. Verum tamen eſt, quod partes euacuatæ ac loco affecto uiciniores, alimentum exigent a diſtantioribus ac plenioribus, propter totius corporis conſenſum, ea ſaltem quantitate, qua tenuiter refici queant, minus tamen attrahent q̃ reliquerunt, naturalis analogiæ comparatione, alioqui uis minor traheret maiorem, quod eſt abſurdum. In æquali uero alimenti inopia facilius eſt continere q̃ attrahere, alioqui ab æqualitate fieret actio. Non ergo replebũtur præter naturam uicinæ morbo partes, neq; is humorum fluxus præter naturam erit, ſed ceſſabit, ubi ad analogiam humorum peruenitur. Multo tamen præſtantius eſt, in partibus morbo uicinis tam modicum alimenti eſſe, ut aliunde trahant, q̃ eſſe tam multum ut uel in alias pellant, uel trahentibus concedant. Ob id fluxus per ſe non eſt præter naturam, ſed plenitudinis ratione, quæ ipſum ſequitur. Neq; obſiſtendum eſt, ne fluant humores, ſed ne copioſiores q̃ pars exigat. Inſuper cum inflammationis eſſentiam complectant hæc, redundantia calidi ſanguinis, & ab hoc calor & tumor, deinceps autem ex multitudine & tumore diſtendente ac prementte dolor, conandũ maxime, ut iſtis ſuccurratur q̃ celerrime. Non poteſt uero celerius iis omnibus ſimul opitulari, q̃ plurimum ſanguinis & celerrime inde retrahendo in uenas, pariterq; totum corpus euacuando, quod ualidiſſime fiet, inciſa ampla uena, cuius origo coniunctiſſima ſit cum ea uena, per quam in inflammationem defluebat humor, & minime ea quæ eſt in parte oppoſita aut diſtantiſſima. Hac enim ratione ſanguis, qui nuper defluxit, neq; adhuc uehemẽter inhæſit, affixus ue eſt, remeabit in uenas, & eo ablato, mitigabitur calor, diſtenſio ac ſolutio continui, & proinde dolor. Quoniam igitur calor & dolor defluxionem trahebãt, pellebant aũt aliæ partes, copia aut uitioſa qualitate humorũ incitatæ, iis defluxionis cauſſis uel omnino ablatis, uel apprime minutis, ceſſabit etiam defluxio. In oppoſita uero parte uel maxime diſtante uenæ ſectio facta, tametſi totam humorũ molem in ſe cõuertere nata eſt, imbecillius tamen tardiusq; trahit diſtantiorem propiore, quando omne agens potentius agat in propiora q̃ diſtantiora. Sed quia in morbis acutis ualde concitata eſt excretoria facultas, neq; enim aliter fierent morbi uitæ diſcrimen afferentes, idcirco in

iis non

iis non ſatis eſſe poteſt retractio ex diſtantiſſimis partibus, aut ex oppoſito facta, ſed ea quæ fit ex uicinioribus, & communitatem quandam cum parte affecta habentibus uenis. His accedit, quod detrahendo ſanguinem per diſtantiora, uires euacuant, & a morbo nihil leuatur. Et quod maximum eſt, pars uitioſæ materiæ alio transfertur, quæ dein altera ſanguinis miſſione per propiora iterum ad Phlegmonem retrahitur, nec euacuatur. Hinc ſecta aduerſi lateris uena, uel nulla fit retractio a loco affecto, uel periculũ imminet tranſitionis morbi in alterum latus. Venæ enim ſectio proximum ſanguinem & conſequentem, quantumuis bonum, euacuat, atq; adeo in oppoſita aut diſtãtiſſima parte ſanguis optimus ſolus euacuatur, & in eius locum paulatim ſurrogatur atq; tranſit uitioſus, & quod reliquũ eſt, inficit. Quod ne accideret in peſtilentia, unanimis uotis conſtituerunt recentiores, ut uena, quæ e directo locum peſtilentiali bubone affectum reſpiceret, ſecaretur, & minime ea quæ ex oppoſito eſt, quando hoc pacto uenenum ex affecto loco tractum, illæſam quoq; partem infectam redderet. Mirum autem, cur eundem euentum in interiorum uiſcerum inflammationibus non timuerint, cum diuerſitatis nulla penitus ſubſit ratio, ſimiliter enim ſanguis uitioſus a loco affecto in non affectum trahitur. Prædictis fidem quoq; faciunt, ꝙ ubi intumuerit utrunq; crus, inciſa uena brachii dextri, detumeſcit crus dextrum, ſiniſtro nullam utilitatem ſentiente. Similiter in febribus acutis intumeſcente utroq; uiſcere, hepate & liene, inciſa dextra brachii uena ſoluitur iecoris tumor & dolor, non autem lienis. Item ſanguis de nare dextra profluens, ſoluit iecoris dolores, lienis autem de ſiniſtra. Hinc eſt quod Galenus libro tertio de Criſibus, capite tertio, et ultimo in bonis inflammationis criſibus per directum oportere fluere ſanguinem docet. Iterum obiicient aduerſarii, interdum nõ tolli totam exuberantiam una ſanguinis miſſione, tunc ergo uerti impetum excretoriæ facultatis uerſus phlegmonem & ipſam impleri. Quibus ita reſpondeo. Rariſſime id fieri, ſi tamen contingeret colligi idoneam quantitatem, quæ inflammatione iterum inſeſtari poſſet, quod uix ante horam quartã a uenæ ſectione fieri ſolet, tunc iterum ex eadem uena detractus ſanguis id totum expurgabit, deinde ubi res exigit, ſtudendum reuulſioni tertia ſanguinis detractione, non ut ſolent aduerſarii prima. Id quod Galenus confirmat, libro de Sanitate tuenda quarto, iis uerbis: Quoniam igi- ››
tur in hac quæ ueluti phlegmone fatigat laſſitudine, uis calidi ſang ››

,, uinis congeſta in corporis mole eſt, uenæ autem ſectio ſuccos e
,, uaſe emittit, utile eſt poſt priorem detractionem tantiſper intermit
,, tere, dum aliquid eorum qui in corpore ſunt humores, remigrent
,, ad uenas. Quod tamen, quoniam committendum nõ eſt, ut in iis
,, maneat, utpote ex dimidio corruptum, ſed potius plurimum eius
,, expellatur, idcirco detractiones ſanguinis etiam ſecundo die itera
,, mus, aliquando uero & in tertio, ubi uidelicet & reuellere, & ex
,, aliis in alia transferre uiſum eſt conducere. Ex quibus manifeſtum eſt, quod duæ primæ detractiones, quæ euacuandi gratia fiunt, præcipiendæ ſunt eodem die, ſi liceat, ſed poſt quartã horam: ſin minus, ſecundo. Tertia uero, quæ fit reuulſionis tantũ cauſſa, in tertio etiam die fieri poteſt. Minime prætereundum & hoc eſt, ꝙ iſte iuniorum Medicorum error ex quodam etiam Galeni loco male intellecto promanaſſe uidetur. Is autem eſt in arte Medicina
,, li cap. xcv. ubi in hunc modum ſcribit: Si uniuerſum corpus plus
,, æquo plenum fuerit, per patientem locum minime euacuandum. Patientem locum intelligentes latus uniuerſum, in quo affectus ipſe conſiſtit. Verbi gratia, baſilicam lateris affecti in Pleuritide, at abuſiue, ut ita loquar, atq; omnium falſiſſime, cum patiens locus in præſentiarum non ſit aliud, niſi membrum hoc, in quo affectus exiſtit, hoc eſt, locus inflãmatus & dolens, ut ſunt coſtæ dolentes in Pleuritide. Et ita uerum eſt, quod uena quæ per hũc locũ dolentem, aut ualde uicinũ tranſit, ſecari non debet. Pellente eñ natura totius corporis excrementa ad inflãmationem, & eo propenſius, quod uia fluxui facta eſt, periculũ imminet, ne plus humoris perueniat q̃ per anguſtam uiam ac uenam tranſmitti poſſit. Semper etiam aliquid craſſioris ſanguinis detinebitur, contra q̃ in amplis uenis, qua redundantia neceſſe eſt excrementum in phlegmonem diſtribui, & morbũ augeri. Adde quod per paruas uenas uix poteſt idonea quantitas euacuari, ut totum corpus expurgetur, quales in Pleuritide, quæ ſemper exempli loco erit, ſunt uenæ quæ in coſtis. Senſus itaq; Galeni uerborum eſt, quod redundantibus humoribus in toto corpore, non ſit incidenda uena in ipſa phlegmone, aut ualde uicina, uel compatiente particula, neq; omnino fluentibus humoribus. In ipſa enim inflammatione & uicina parte uehementer condolente, irritatur dolor uel uulnere, uel uiolento cucurbitæ tractu, & proinde ad ipſam phlegmonem uchemẽtius trahunt calor & dolor humorẽ alioqui ſponte defluentem, immo cum cucurbitula modicum ſanguinis diluti per anguſtos meatus

euacuet

euacuet, plus attrahit ad phlegmonem q̃ euacuetur. Hinc recte ſupra paulo adductis uerbis annectit Galenus. Nam ſi ſcarificationibus aut ſectionibus ſenſibiliter euacuabimus, plus ratione excitati doloris attrahemus. Si uero calefacientibus diſpergere tentabimus, plus erit id quod ui caloris ad partẽ attrahitur q̃ diſperſum. Quod ſi in eo elaborabimus, ut quod influxit retrocedat, corpus plenũ nõ admittet. Ad hæc igitur ambo totũ corpus euacuare oportet, aut omnino ad contraria loca retrahere quod patienti particulæ influit, quo perfecto opere prius a parte repellendum, mox diſpergendum. Quanto em̃ per minora fit, tanto expeditior euacuatio. Ex quibus uerbis nihil aliud colligitur, niſi quod in interiorum membrorum inflãmationibus in principio nõ ſit, neq; per ipſam inflammationem, neq; per partem ualde uicinam euacuandum. Verbi gratia, factis extrinſecus in membri patientis ſuperficie ſcarificationibus, adhibitiſq; cucurbitulis, ſed aut trãsferendus ad alias partes qui in ægra continebatur ſanguis, aut foris a corpore expellendus, diligenter tamen obſeruato, ne qua ex accidente læſio ſequatur, ita ut morbus nõ efficiatur maior, auctis iis quæ in inflammatione ſunt præter naturã, calore, plenitudine, & inde nata tenſione ac dolore, idq; in parte inflammata, uel in parte oppoſita retractione, uel etiam febre in toto corpore. Quod non commodius fieri poteſt, q̃ ſanguinis miſſione per ſectionem uenæ amplæ, cuius origo coniunctiſſima ſit origini uenæ, quæ peculiariter alit partem ægram, a qua trahere propoſitum eſt, qualis eſt in Pleuritide baſilica, & in angina humeralis, e directo ægram partem reſpicientes. Rectitudinem autem, ne ſilentio tranſeam, intellige nõ mathematicam, ſed naturalem, quæ in neruis & uenis fit ſecundum filamenta, quam ſatis conſtat a latere dextro ad cubitum dextrum perpetuo inceſſu procedere, nõ autem ad ſiniſtrum. Ergo ut commode fiat retractio, non eſt facienda ex ipſa parte dolente, neq; ex contigua uehementer per conſenſum condolente, ſed deinceps conſequente, idq; ad extremam uſq; ac diſtantiſſimam, nõ quouis modo, ſed ſecundum directum. Id quod Galenus libro de uenæ ſectione probat, in hanc ſcribens ſententiam: Sed & reuulſio e directo facta, euidens iuuamentum celeriter oſtendit, at e conuerſo nequaquam. Hæc enim retractionis ſpecies plurimum & citiſſime a loco inflammationem patiente euacuat. Primum nanq; ex uicinis partibus deterior ſanguis trahenti cedit, celeriterq; uitioſus ſanguis ex partibus tranſmittentibus profluit, adiuuante impetu fa-

cultatis excretoriæ eo uergente. Quoniam uero laborans particula in propoſitam ſectamq; uenam ſeſe exonerare nititur, utpote familiariſſimam, cõmunitatemq; cum ea habentem, neceſſe eſt, ſi insignis copia adeſt, regurgitare humoris partem in proximam uenam, quæ maximam ſocietatem habet cum loci ægrotantis peculiari uena: potentiſſime itaq; retrahet hæc uenæ ſectio humorem ab inflammatione, peculiariq; eius uena, quando ea ſeſe in ſectam uenam, ut paulo ante diximus, exoneret. At hæc ſufficiant ad confutandum manifeſtiſſimũ hunc errorem, cum Arabum, tum recentiorum, nec plura deſyderabunt, qui ueritatem ex animo amant, reliquos qui iam in eo errore tanquam ad Sirenios ſcopulos conſenuerunt, nil moror, quando iſtis ne Dii quidem diuerſum perſuadebunt. Quod ſi uero ſtudioſi plura de hac re ſcire cupiunt, legant Petrum Briſſotum Medicum, Philoſophumq; doctiſſimũ, in ſua aduerſus quendam inſcitiæ propugnatorẽ Apologia. Quem uirum utinam Dii uita longiori, qua certe ob ſingularem eruditionem digniſſimus erat, perfrui dediſſent, proculdubio multo maiora præſtitiſſet, ueteremq; medicinam pro uiribus a tenebris uindicare curaſſet.

ERROR XXXVIII.

ERrat magna recentiorum Medicorũ pars, dum in Colico cruciatu ac dyſenteria, medicinas purgantes, ex Scãmonia & ſimilibus cõfectas, exhibẽt.

Magnam iuniorum Medicorũ partem in Colica exhibere medicinas purgantes, eaſq; ex Scammonia atq; Turbit confectas, nõ aliunde certius q̃ ex eorundem libris agnoſcitur, in quibus eclegmata ſeu electuaria, ut uocant, Indi & Diapheniconis, iis qui Colicę dolore laborant propinanda docent, quorum confectionem Scammonia atq; Turbit etiam conſtituunt. Ita non deſunt, qui & in Dyſenteria eius farinæ medicamina propinant, ſicut eſt electuarium de ſucco roſarum, aut de prunis ſolutiuum, quorum conſtitutio citra Scammoniam non fit. Quamuis nec etiam eorum ſententiam probem, qui Rheubarbaro, utcũq; etiam torrefacto, utuntur. Hi nanq;, etſi ueterum ſe ea in re exemplũ imitari exiſtiment, falluntur tamen ſua opinione: nec enim unquam aliquem ex ueteribus, immo nec Auicennam, eorum principem, Rheubarbaro ad ſubducendam aluum uſum fuiſſe comperient. Neq; id mirum, antiquorum

antiquorum enim Rheubarbarũ a noſtro penitus diuerſum erat, id quod errore tertio oſtendimus. Hinc cum noſtrum hoc Rheubarbarum aliud ſit ab eo, quo ueteres utebantur, decipi neceſſarium eſt eos, qui hoc noſtro ſe ad antiquorũ exemplum uti putant. Quod uero in Colico cruciatu nõ ſit utendum medicamentis purgatoriis ratio eſt, quoniam magnam humorum copiam ui forti, qua prædita ſunt, ad uentriculum, ac dein quoq; ad inteſtina trahunt, atq; hoc pacto dolorem Coli adaugent. Quod eo etiam citius fit, quod illic ſit magna obſtructio, atq; adeo una cũ excrementis, humorum quoq; attractorum per medicamẽta ingens copia, in inteſtinis detinetur, quod non ſine magno & dolore & ægri periculo ſummo fieri poteſt. Cuius rei teſtis eſt, recentiorum Medicorum numen & idolum, Auicenna, qui Fen xvi. Canon. iij. tractat. iiij. capite primo de Colicæ cura ita ſcribit: Et accidit interdum, ut medicinæ attrahentes ex corpore, attrahant ad inteſtina humores malos alios, & quandoq; attrahũt humores puros, quare aggregãtur excoriatio & Colica ſimul, & hoc eſt ex nocumentis mortalibus. Hinc eſt quod Galenus, uel quiſquis tandem eius libri author fuit, cap. iiij. Dinamidiorum, omnes Colica affectos ad purgationes inhabiles eſſe affirmat. Quod etiam cõfirmat hiſtoria, quæ ſcribitur a Galeno lib. xiij. Therap. Metho. cap. vij. de quodã iuuene, qui ſæpe Colico cruciatu affectus, ex Scammoniæ ſucco purgatus eſt. Cum autem bene largiterq; fuiſſet uacuatus, poſtea ſimilis rediit cruciatus. Quod deinde audiens Galenus ſymptomataq; eius expendens, intellexit noxam ex Scãmonia in illis maxime inteſtinis procubuiſſe. Ideo ut cautos redderet Medicos, ne ſimili noxa ægros afficerent, libro primo de affectis locis iis modum præſcribit, quem propinandis medicamentis in Coli cruciatibus obſeruare debent, dicens: Non eſt dubium, quin poſſint ea exhiberi, quæ educunt humores ex inteſtinis, nec aliunde alios attrahunt. Hoc autem eodem teſte, poteſt confectio, quæ Hiera picea nominatur, ſi cum clyſteri iniiciatur. Fortiora autem minime adhibenda ſunt. Ita & Oribaſius in libro Curationum in primis clyſterem adhiberi ex mulſa, aut ex ſucco Ptiſanæ docet, & cibos enchymos, & qui non facile corrumpant accipere. Oportere aũt & euacuari humores, aut temperari. Neutrũ tamen fieri poſſe ait. Quibus uerbis ſubindicat, nõ poſſe medicamẽtis purgatorijs in Coli curatione fieri euacuationẽ, obſtructa enim eſſe inteſtina. Cæterum, quod purgantibus medicamentis, ex Scammonia &

huius generis fortibus confectis, nec in dyſenteria ſit utendũ, euin citur ex Hippocrate, qui in libro de morbis, qui extra dyſenteriæ curationem ex profeſſo tractans, nihil medicamentorum deiicien tium aluum exhibet, ſed uentrem cum lacte decocto tantũ diluit. Idquod facit paulo poſt, in Lienteriæ quoq; curatione. Nec diſce-dit ab Hippocratis ſententia Alexander Græcus, lib. ij. cap. viij. „ qui curationem dyſenteriæ in hunc modum tradit: Dyſenterico „ rum ergo fluxum, uentriſq; & inteſtinorum curabis ſtipticis cata- „ plaſmatibus. Et potui dabis lac decoctum, ſit autem non minus he „ mina una. Cornelius quoq; Celſus bonus Hippocratis interpres, lib. iiij. cap. xv. de dyſenteriæ curatione, omnia ea fugienda eſſe „ docet, quæ exulceratione̅ concitari poſſint, ob id ait: Oportet in „ primis co̅quieſcere. Siquidem om̃is agitatio exulcerat, deinde ieiu „ num ſorbere uini cyathũ, cui co̅trita radix quinquefolii ſit adiecta. „ Et paulo infra: Si uetuſtior morbus eſt, ex inferioribus partibus „ tepidum infundere oportet uel Ptiſanæ cremorem, uel lac, uel adi „ pem liquatam, uel medullam ceruinam. Iam ſi ex Celſi conſilio omnia quæ exulcerationem mouere nata ſunt, abiicienda procul erunt, quid per Deum immortalem remotius abeſſe debet, q̃ pur-gatorium medicamentum? quod ui ſua magnam acrium humo-rum molem ad exulcerata iam inteſtina deducit. Proinde recte ad modum author Dinamidiorum capite quarto dixit, Dyſenteria affectos purgationi per medicamenta ineptos eſſe. Quod & Gale „ nus lib. xiij. Therap. Metho. cap. iij. iis uerbis inſinuat: Neq; igi- „ tur cum uel circa ſedem, uel aliquam huic uicinam partem initium „ plegmones incidit, aluum deiicies. Neq; cum in ueſica uel renibus „ cœpta eſt, pharmaca quæ urinas prouocent, bibenda dabis. Nec „ ſi mulieri in utero uel pudendo inſedit, menſes huic prouocabis, „ ſed ad alias partes quæ maxime longinquæ ſunt, ſemper auerſio- „ nem facies. Et rurſus libro primo ad Glauconem, cap. xiij. inqui- „ ens: Sed neq; ſi fuerit febris cum profluuio uentris, alia eſt opus „ euacuatione, uerum hæc ſola ſufficit, quamuis non ſit pro multitu „ dinis ratione. Quicunq; enim iis plura adimere fore neceſſarium „ putantes aut ſanguinem mittere, aut uentrem mouere tentarunt, „ in grauiora pericula duxerũt. Quod ſi itaq; in alui profluuio cum febre Galenus medicinam aluum ſubducentem, ob uitandum ani mæ defectum, propinare prohibuit, cur non magis ad eiuſdem ex hibitione cauebit Medicus in Dyſenteriæ malo? Vbi non ſolum ad eius acceptionem maior ſequitur inteſtinorũ exulceratio, uerũ

etiam

etiam animæ defectus ob crebrum egerendi conatum multo celerius accidit, cui malo antea quoque affecti Dyſenteria plus ſatis obnoxii ſunt. Id quod teſtatur Galenus, qui paulo poſt ſubdit: Animo deficiunt & in morbo, cui Choleræ nomen eſt, & in profluuiis uentris, & difficultatibus inteſtinorū ac leuitatibus. Idem hoc quod prædicti authores, docet & Auicenna, quem utinam iuniores Medici in iis magis, ubi recte ac cum uetuſtioribus ſentit, q̄ in iis, ubi falſa docet, imitari uoluiſſent. Is enim Fen xvi. Canon. iij. tractat. ij. cap. vij. de cura exulcerationis inteſtinorum ita inquit: Et ſi fuerit neceſſaria euacuatio propter humoris malitiam, utere ea cum timore & cautela, & ſtude, ne ſolutiuum uehementer noceat ueſtigio & ulceri, immo ſit ſicut Myrobalanus, et rectifica ipſum cum eo quod miſcetur ei ex eis quæ ſunt ſicut Dragagantum, & ſimilia. Si itaque Myrobalanus ex Auicennæ ſententia, cui præcipua uis eſt extinguendi bilis feruorem, ſine medicamine cōglutinandi uim habente, exhiberi non debet, quid de Rheubarbaro ſentiendū erit? At ſufficiant iſta ad confutationē eorū, qui in Coli dolore ac Dyſenteria medicamentis trahendi ui præditis utuntur temere.

ERROR XXXIX.

PErperam ac præter decorum Medici iuniores Cacochymiam definiunt, eandemque repletionem ad uirtutem alio nomine uocari non minori errore affirmant.

Vt errorem hunc certius deprehendere queant ſtudioſi, rem ab ouo, ut dicitur, repetemus. Recentiores duplicem repletionem faciunt, & hoc recte quidem, unam ad uaſa, alteram ad uirtutem nominātes. Aut unā in quantitate, & alteram in qualitate, illamque alio nomine Plectoriam, ita enim loquuntur, hanc uero Cacochymiam appellant. Plectoriam autem ſeu repletionem in quantitate definiunt eſſe, ubi omnes ſimul humores ſua quantitate excedūt, aut unus tantum. Cacochymiam uero, ubi humores ſua qualitate tantum, puta frigiditate, aut caliditate, humiditate aut ſiccitate exuperant. Et illam alio nomine uocari Repletionem ad uirtutem docent. At quantum ſic definiendo fuerint hallucinati, iam meridiano ſole clarius indicabimus. Primum itaque omnium in diuidendo ab eiſdem erratū eſt, dicentibus, Repletionem unam eſſe in quanti

tate, & eam dici Plectoriam: alteram in qualitate, & illam uocari Cacochymiam. Quando potius ex ueterum ſententia ita diuidendum erat. Repletio duplex, una ad uaſa, altera ad uirtutem. Ad uaſa rurſus duplex, nam una eſt Plethora, altera autem Cacochymia Hoc modo uero eſſe diuidendum, ex earundem deſcriptionibus probabimus. Galenus porro libro quarto Therap. Metho. cap. iiij. & lib. xiij. cap. iij. eas ita definit: Vbi æquabiliter inter ſe ſucci ſeu humores ſunt adaucti, id & Plethoram Græci uocant, nos Plenitudinem, & ſuccorum abundantiam dixerimus. Vbi uero uel flaua bili, uel nigra, uel pituita, uel ſeroſis humoribus refertũ corpus eſt, eum habitum Cacochymiam, quaſi ſuccorum uitium dicas, nominant. Et libro ſecundo de tuenda ſanitate. Plethora, inquit, eſt ſuccorum æquabiliter ſe habentium redundantia. Cacochymia uero uitioſi ſucci abundantia & copia. Repletio autem ad uirtutem, eodem Galeno lib. iiij. de tuenda ſanitate teſte, eſt quæ uires prægrauat. Ex quibus Galeni deſcriptionibus manifeſtũ fit primo errore, iuniores in Plethoræ deſcriptione, dum eandem etiam eſſe affirmant, ubi unus humor abundat. Nam id ex diametro cum Galeni definitione pugnat, qui eam humorum omnium ex æquo abundantiam eſſe dicit. Proinde ubi unus abundat humor, non Plethora, ſed Cacochymia appellari debet, quemadmodum ex eius definitione ſatis conſtat. Secundo errant deſcribendo Cacochymiam, aſſerentes eam eſſe, ubi humores ſua qualitate excedunt, cum ea ſit ex Galeni ſententia, ubi unius ex humoribus adeſt copia ac abundantia. Quod ſi uerum eſt, certe non qualitate tantũ ſed etiam quantitate nocet Cacochymia, id quod Galeni etiam docent uerba, dum inquit: Vbi flaua bili uel nigra, uel pituita refertũ corpus eſt, Cacochymiam nominant. Si itaq; humore aliquo corpus in Cacochymia refertum eſt, ergo merito repletio ad uaſa, aut in quantitate uocatur, quando ſine uenarũ extenſione corpus refertum dici non poſſit, non autem repletio in qualitate, quando ea potius ſit, ubi ſanguis ſua qualitate excedit. Id quod teſtatur Galenus lib. xi. Therap. Methodi, cap. xij. in hunc modum ſcribens: Porro deficiunt redundantq; quædam in quantitate, quædam in qualitate. In quantitate, cum ſanguis immodice eſt auctus, aut rurſus minor redditus. In qualitate, cum uel calidus, uel frigidus, uel craſſus, uel tenuis plus iuſto minus ue eſt effectus. Atq; adeo differt Cacochymia a repletione in qualitate, quandoquidem & illarum etiam curatio differt; illa enim, ut dicemus, purgantia medicamenta

camenta, hæc uero alterantia ſolū deſyderat. Tertio errant, quod Cacochymiam repletionē ad uirtutem nominant. Nam etſi om̄is Plethora, omniſq; Cacochymia repletio ad uirtutem dici queat, tamen econuerſo quæ uere repletio ad uirtutem dicitur, neq; eſt Plethora, neq; Cacochymia: ut ſi quis cibum boni ſucci non in tanta quantitate ſumat, ut extendat uentriculum, eum tamen, etſi modicum, ob imbecillitatem concoquere non poteſt, tunc quia grauat uirtutem, uocatur repletio ad uirtutem: non autem Plethora, quia uentriculum quantitas cibi ſumpta non extendit: nec Cacochymia, quia uitioſi nihil in ſe continet. Ideoq; repletio ad uirtutem reliquis non commiſcetur, ſed ſeorſum diuiſionis membrum conſtituit. De ea loquitur Hippocrates lib. ij. Apho. xvij. dicens, ὅκου ἂν τροφὴ πλείω παρὰ φύσιν ἐσέλθῃ, τοῦτο νόσον ποιέει. Id eſt Vbi cibus præter naturam plus ingeſtus eſt, hic morbum facit. In cuius Aphoriſmi explicatione Galenus multa de iſta ad uirtutem repletione diſſerit, atq; ibidem ad noſtram ſentētiam repletionem diuidens, in eum modum ſcribit: Plus cibi q̄ modo naturæ conueniat, repletio nominatur. Verum ea in noſtris corporibus duplex eſt, una quantum ad uaſórum amplam capacitatem, altera quantum ad illam, quæ nos gubernat, naturam, de qua nunc Hippocrates docet. Iſta autem nemo fruſtra me admonuiſſe exiſtimet, quando ad iſtarum definitionum præſcriptum facile etiam curationem adhibebit Medicus. Plethora nanq;, referente Galeno libro xiij Therap. Metho. cap. iij. ſanguinis miſſione curatur. Cacochymia autem purgatione, quæ cuiq; ſuperanti ſucco ſit accommodata, corrigitur. Ea uero quæ ad uirtutem dicitur, ſola uirtutis roboratione ſanatur. Redundantia autem in qualitate, alteratione tantum, manente adhuc ſubſtantia, curatur. Quod ſi uero recentiorum præſcripto obſecundatus fueris, mox a uera medendi methodo te aberrare continget. Ex his itaq; colligitur, quod quemadmodum Plethoræ, Cacochymiæ atq; repletionis ad uirtutem diuerſæ ſunt curationes, ita etiā eaſdem inter ſe eſſe diuerſas ac differentes conuenit, atq; adeo commentum iuniorum plane frigidum eſt, repletionem ad uirtutem, alias Cacochymiam nominari.

ERROR XL.

INdocte admodum, ac præter antiquorum exemplum agunt iuniores, qui in curando renū Calculo, aſſidua Clyſteriū iniectione ægros excarnificāt.

Frequens clyſterium uſus in iis, qui renum calculo laborant, ideo damnandus uidetur, quod ſua quantitate ac copia inteſtina extendentes, meatus, per quos calculo ad ueſicam tranſitus eſt, coartant, quo nomine nō ſolum dolor auctior ſit, ſed & calculi tranſitus impeditur. Quod eo magis efficiunt, ſi iſtis purgantia medicamenta commiſcentur: nam tunc humores per medicamenta attracti, plus etiam inteſtina tendūt, meatuſq́ꝫ, per quos calculo tranſitus eſt, comprimunt, adeo ut non ſolum calculus, ſed & clyſter, non ſine magno ægrorum & damno & cruciatu, aliquando diebus aliquot detineatur. Quemadmodum & ipſe ſcio, quibus ad tertium uſq́ꝫ diem detenta ſunt. Proinde cōſultius fecerint Medici, ſi uel penitùs neglexerint clyſteres, ac balanis, ſeu ut ipſi uocant, ſuppoſitoriis utantur, aut lenientes tantum, ubi aliter fieri haud poteſt, ac modicæ quantitatis iniiciant. Id quod etiam Auicenna perdocet Fen. xviij. Canon. iij. tractat. ij. cap. xix. dicens: Et ſi fuerit conſtrictio aliqua naturæ, tunc de rectoribus rebus eſt extrahere fecem cum ſuppoſitorio, aut cum clyſteri non magno, quod coartet & dolorem faciat, immo ſuppoſitorium amabilius eſt mihi. Hinc eſt quod Razes in nono ad Almanſorem nihil de clyſterium iniectione præcipiat. Quarum uſum ſi ad calculi curationem accommodatum cognouiſſet, dubio procul non reticuiſſet, quemadmodum & in Colico dolore earundem uſum nō neglexit. Ideo recte admodum Galenus libro ſexto de affectis locis, capite ſecundo dixit: Colicorum cruciatus multo magis q̄ nephiriticorum, lenientibus mitigantur clyſteribus. Hippocrates quoq́ꝫ in libro de morbis, qui intus, ubi ex profeſſo calculi curationem tractat, clyſterium nunquam meminit. Ita & Alexander Græcus lib. ij. cap. clxxx. nihil de illarum iniectione præcipit. Porro in curatione calculi ea methodus erit obſeruanda, ut ſi æger robuſtus ac iuuenis fuerit, tunc aut purgans medicamentum deuoret, aut poplitis uenam ſecet, dein balneo aquæ dulcis, & inunctionibus laxantibus meatus, mollientibuſq́ꝫ utatur, atq́ꝫ poſt hæc medicinas etiam urinam mouentes accipiat. Eam certe medendi methodum præſcripſere ueteres, inter quos Hippocrates primum obtinens locum, in ſexto Epidemiorū libro, ſectione prima, ſic docet, καὶ ἐς νεφρὸν ὀδύνη βαρεῖα, ὅταν πληρῶνται σίτου, ἐμέουσί τε φλέγμα, ὅταν δὲ πλεονάζωσιν ἰώδεα, καὶ χάριν μὲν πίνονται. λύονται δὲ ὅταν σιτία κενωθῶσι, ψαμμία τε πυῤῥὰ ὑφίστανται, αἱματώδεά τε οὐρέουσι, νάρ-

κη μηροῦ

κὴ μηροῦ τοῦ κατ᾽ ἴξιν. ἐλινύειν οὐ ξυμφέρει, ἀλλὰ γυμνάσια, μὴ ἐμπίπλασθαι, τοὺς νέους ἐλλεβορίζειν, ἰγνύην τάμνειν, οὐρητικοῖσι καθαίρειν, λεπτῦναι καὶ ἁπαλῦναι. Quod eſt, Et in renem dolor grauis, quando cibo implentur, pituitam uomunt: cum uero dolores creſcunt, uirulenta, & faciles quidem fiunt, ſoluuntur autem, cum cibis euacuantur, arenulæ ruſæ ſubſiſtũt, ſubcruenta profluunt, ſtupor ſeu torpor fœmoris ſecundum rectum quieſcere non confert, ſed exercitari, nec impleri, iuuenes Veratro purgare, poplitem ſecare, lotiũ mouentibus purgare, extenuare, mollificare. Quibus ſane breuibus admodum et ſuccinctis uerbis, non ſolum curationem paulo ante præſcriptam, ſed & ſignorum quoq; catalogum complexus eſt Hippocrates. Nec diſſentiunt a prædictis, quæ idem Hippocrates libro de morbis, qui intus de calculi curatione ſcribit in hunc modum: Cum ſic habet, prius corpus fouето, Scammoniæq; ſucco uel eius radice ſubter purgato, poſtridie ciceris albi decocto ſale aſperſo, duobus congiis propinato, poſtea cibo, potu, balneisq; curato, medicamẽta dato, quæ ſtillicidio urinæ laboranti. Cum uero dolet, multa calida lauato. His accedit etiam Alexander Græcus, loco quo ſupra, ita inquiens: Mox igitur in acceſſione quæ laxant & mitigant ſunt adhibenda. Vtiliſſimum eſt balneum omnibus, non enim mitigare tantum, ſed & curare poteſt. Et cum lotus fuerit, loca dolẽtia oleo Chamæmelino ſunt inungenda. Idem etiam ſuadet Razes, ita ſcribens: Cum in renibus fuerit lapis, æger balneum aquæ dulcis frequenter ingrediatur, & renes & ilia ex oleis inungantur. In potu quoq; ſumantur, quæ lapidem frangunt. Quod uero ſectio uenæ poplitis in curatione calculi locum habeat, ita demonſtratur. Cum in eo affectu non modicus ſit dolor, certum eſt ad affectum locum magnam quoq; humorum copiam conflui. Dolor enim, Galeno libro Artis Medicinalis cap. xcv. teſte, fluxiones commouet. Id quod & libro tertio Therap. Metho. capite quarto confirmat, inquiens: Quod dolet, plus aliquid affluere facit. Hinc iterum conſtringi ob eum humorum defluxum, atq; coartari meatus neceſſe eſt. Vt ergo ab affecto loco retrahantur, euacuenturq; humores, uenæ ſectione opus erit, & non alia niſi poplitis, eius enim origo coniunctiſſima eſt origini uenæ, quæ peculiariter alit partẽ ægram, a qua trahere propoſitum eſt, & ita retractis euacuatiſq; humoribus, meatus dilatantur, calculoq; ad ueſicam facilior deſcenſus paratur, id

quod & experientia compertum habeo. Hinc eſt quod Galenus libro de Venæ Sectione ita ſcribat: In quibus eſt affectus, quem νεφρῖτιν uocant, eam quæ ſecundum poplitem eſt, uel eam omnino demum, quæ ſecundum malleolum eſt, uenam ſecare oportet. Inſuper mirari ſatis nõ poſſum, cur eius uenæ ſectio in calculo tam raro, immo fere nunquam adhibeatur a noſtri temporis Medicis, cum tamen hoc genus auxilii Hippocratis & Galeni quoqꝫ teſtimoniis ſit comprobatum. At ſolent ferme ſemper meliora interci dere, atqꝫ in eorundem locum peſſima irrepere.

ERROR XLI.

Error eſt, aſſerere purgatorium medicamentum attractis humoribus non eſſe ſimile, atqꝫ adeo hallucinatur Meſue, id non ideo certũ purgare humorem, quia ſit huic ſimile, contendens.

Meſue libro primo Canonum uniuerſalium, capite primo, intentionis primæ, manifeſtiſſime innuit, Medicinã purgantem humoribus attractis non eſſe ſimilem, iis uerbis: Medicina laxatiua non euacuat ſeu attrahit talem humorem, quia ſit ſimilis humori, ſed quia talis. Quam quidem ſententiam eſſe erroneam, ueterum ſcriptis oſtendemus, qui unanimiter medicamentũ purgandi uim habentem, attractis humoribus eſſe ſimile adſerũt. Id quod in primis facit Hippocrates, qui in libro de natura humana in hanc ſcribit ſententiam: Pharmacum cum corpus intrat, primo id quod omnium maxime ſibi ſecundum naturam cognatũ atqꝫ ſimile eſt, agit, exinde reliqua trahit & purgat. Quemadmodum ſtirpes & ſemina terram ingreſſæ, ſibi quod ex ipſarum natura eſt, trahunt, uel acre, uel amarũ, uel dulce, uel ſalſum, uel aliud quid diuerſum: in primiſqꝫ ex eo plurimum, quod ſibi naturali propinquitate maxime coniunctũ eſt, arripiendo, tum cætera deinceps attrahendo. Idem docet Galenus lib. iij. de Simplicib. Medica. cap. iiij. inquiens: Vnumquodqꝫ medicamentorꝫ purgantium, humori, quem attrahit, ſimile eſt: at fortius aliquo modo medicamen humore exiſtit, & propterea trahit, non aũt trahitur. Quemadmodũ Magnes lapis ſimilis eſt ferro, at quia fortior, ob id ferrum attrahit, nec ferrum attrahit ipſum. Ita Cartamus eſt pituitæ ſimilis, uerum ob caliditatem ſuam pituita fortior, ideo & eandem attrahit, at non attra

hitur ab

hitur ab ipſa. Quibus uerbis argumentatio etiam diluitur, quam ſubobſcure Meſue innuit, quæ huiuſmodi eſt. Si ſimilitudo cauſſa eſſet, quare medicamentum humorem traheret, ita humor traheret medicinam, ſicuti medicina humorem: huic enim occurrens Galenus, rationē reddit, quare cum ſint ſimilia, hoc potius trahit, illud trahitur, id ex ſimilibus trahere dicens quod ſit potentius. Firma itaq; ſtat adhuc ueterum ſententia, quod ſcilicet medicamētum purgans attracto humori ſimile ſit. Si enim diſſimile eſſet ac contrarium, tunc eundem magis procul a ſe pelleret, fugaretq;, q̄ traheret, cuius tamen contrariū diutina nos experientia, rerum quarumlibet magiſtra, edocet. Plura ea de re cōquirant ſtudioſi apud Galenum libro ſecundo de Elementis. De atra bile cap. vi. Libro primo de potentiis naturalibus, cap. xiij. & xiiij. Libro de uirtute medicamentorum purgantium.

ERROR XLII.

ERrant, contraq; ueterum præſcriptum agunt recentiores, qui nō turgentibus humoribus, concoctioni minorationem, ut illi loquuntur, præmittunt, poſt uero coctionem eradicationem adhibēt.

Humores turgent, dum motu uehementiore atq; transfluxu, ab una corporis parte ad aliā in morbi principio feruntur, ægrūq; infeſtant, ac quieſcere non permittunt, quod in acutis præcipue morbis contingit. Tales quidem humores, qui de loco ad locum transfluunt, euacuare conuenit, non expectata aliqua concoctione, quemadmodū docet Hippocrates primo, Aph. xxiiij. dicens, ἐν τοῖσι ὀξέσι πάθεσιν ὀλιγάκις καὶ ἐν ἀρχῇσι τῇσι φαρμακίῃσι χρέεσθαι. Id eſt, In acutis paſſionibus raro & in principiis medicinis purgantibus uti conuenit. Vbi uero humores ſunt in aliqua parte firmati, nec de loco ad locum mouentur, quemadmodum contingit in morbis longis, eos medicamento purgante euacuare ante concoctionem non oportet. Neq; etiam minorandi, ut conſueto noſtris medicis uerbo utar, ſunt humores non cocti, quando quæ cruda ſunt, nullo penitus pacto mouere conueniat. Ita enim præcipit Hippocrates libro primo, Apho. xxij. inquiens, πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινεῖν, μὴ ὠμά. μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ. Hoc eſt,

Concocta medicari, et mouere nō cruda, neq; in principiis, ſi non turgent. Proinde cum minoratio humorum fieri non queat citra eorundem motum, certum eſt, eam adhiberi a Medicis ante concoctionem nō deberi. Nam ea deiectio tormina, animiq; deliquia cum eo quod nec quippiam notatu dignum educit, procreat: crudi enim omnes ſunt humores atq; pigri, adeoq; ob craſſitudinem frigiditatemq; ad motum inepti. Quo fit, ut etiam uias omnes anguſtas obſtruant, per quas id quod medicamentum deiicit, ferri ad aluum debeat, & ita nec ipſi educūtur, & aliis ſunt impedimento. Accedit, quod Medicina imbecillis multis ac copioſis humoribus præualere non poteſt: alias enim a debiliori in fortius fieret actio, quod naturæ impoſſibile eſt, adeoq; eoſdem ſolum mouet, nec educit, ita ut magna totius corporis fiat turbatio. Medicamentis ergo tentanda ſunt, iuxta Hippocratis edictum, concocta tantum, non cruda. Id quod Galenus quoq; prima Aphor. Cōmen. xxiiij. docet, ita ſcribens: In longis morbis ſemper oportet expectare concoctionem: tunc enim naturam ipſam habemus euacuationi adminiculantem, uidetur ſiquidem & ipſa poſt concoctiones, humores diſcernere, & ſuperfluitates expellere. Sed cum perfecte ipſa mouet, medicamento opus non eſt. Si uero mediocrius atq; imbecillius agat, id quod deficit oportet ſupplere medicādo, ut ex utroq; noxii humoris fiat euacuatio, natura quidem expellente, medicamento uero attrahente. Iam quemadmodum humores ante concoctionem non ſunt minorandi, ita nec poſt eandem ſunt eradicandi, id enim uetat Hippocrates lib. ij. Apho. li. in eam ſententiam ſcribens: τὸ κατὰ πολὺ καὶ ἐξαπίνης κενοῦν ἢ πληροῦν, ἢ θερμαίνειν, ἢ ψύχειν, ἢ ἄλλως ὁποσοῦν τὸ σῶμα κινεῖν σφαλερόν. διότι πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, τὸ δὲ κατ' ὀλίγον ἀσφαλές. Quod eſt, Plurimum atq; repente euacuare, uel replere, uel calefacere, uel refrigerare, ſiue quouis alio modo corpus mouere periculoſum. Quoniam omne nimis eſt naturæ inimicū, quod autem paulatim fit, tutum eſt. Multa enim euacutio, quam eradicatiuam appellant noſtri, cōmoderationem Elementorum, in qua natura conſiſtit, teſte Galeno, deſtruit, unaq; animalis ſubſtantiam diſſoluit, eoq; nomine maxime a Medicis fugienda.

ERROR XLIII.

CAccutiunt plane Medici, qui Elephantiaſin,

Lepram

Lepramq́; aliter apud Arabes, aliter apud Græcos accipi non uident.

Aliter accipi Elephantiaſin atq; Lepram apud Arabes, aliter apud Græcos, ex eorundem deſcriptionibus, nominumq; ui euidentiſſimum fiet. Auicenna ſiquidem Fen xxiij. Canon. iij. tract. primo, cap. xvi. Elephantiaſin in hunc modũ deſcribit: Elephantia eſt additio in pedibus ſecundum modum, qui accidit in uenis uaricum, quare ingroſſat pedem cum æqualitate ſua. Razes uero lib. ix. cap. xciij. ita: Elephantiaſis eſt, cum pedis groſſities augeri uidetur, et color obfuſcari, uenæ quoq;, quæ uites uocantur, apparere cœperint. Auenzoar autẽ lib. ij. cap. xxvi. de eadem in eam ſententiam tradit: Et accidit cruribus groſſitudo præter naturam, quæ dicitur Elephantia, & hoc ideo, quia aſſimilatur cruribus Elephantis in groſſitudine. Hos deinde imitati ſunt recentiores omẽs Elephantiaſin pro morbo accipiẽtes, in quo pedes ſupra modum intumeſcunt. Et hæc Arabum de Elephantiaſi ſententia. Lepram uero Auicenna Fen iij. Canon. iiij. tracta. iij. capite primo ita definit: Lepra eſt infirmitas mala, proueniens ex ſparſione Choleræ nigræ in corpore toto, quare corrũpitur complexio membrorũ, & forma ipſorum, & figura eorũ, & fortaſſe corrumpitur in fine eius, ipſorum continuitas, ita ut corrodantur membra, & cadant caſu qui fit ab ulceratione, & eſt ſicut cancer cõmunis toti corpori. Ita Razes quoq; lib. v. cap. xxxv. ſcribit eſſe morbum uulnerantem membra, ac eorum corrumpentem figuras. Auenzoar etiam lib. ij. cap. xij. Lepram, ait, eſſe cancrum peſſimum ortum in corporibus hominum. Nec aliter deniq; omnes Medici iuniores, qui Arabum doctrinam ex magna parte ſequuntur, definierunt. Verum ſi Hippocratis, Galeni, Pauli Aeginetæ, reliquorumq; Græcorum, Latinorumq; deſcriptiones cum iam dictis Arabum contuleris, mox deprehẽdes eoſdem in uerbo Elephantiaſi eum morbum intelligere, quem Arabes ac Medici iuniores Lepram appellant, atq; ab altero morbo, quem illi Lepram nominant, omnino diuerſum. Galenus enim libro ſecundo de Morborum Cauſſis, cap. vij. Elephantiaſin haud aliter, q̃ Auicẽna Lepram, inter morbos figuram corrumpentes, enumerat, ita ſcribens: Quippe morbus qui Elephas nominatur, plane formam immutat, etenim naſus ſimus, labra craſſa, aures acuminatæ uidentur. Nomen autem Elephantiaſis tractum eſt a ſimilitudine Elephantis, quoniam eo-

dem Galeno teſte, qui hoc morbo laborant, carnem habent ni-
gram, & tuberibus plenam, ita ut Elephantiū corio uideatur pror
ſus aſſimilis. Paulus itidem Aegineta lib. iiij. cap. primo, Elephan
tiaſin eſſe cancrum totum corpus occupantem, non ſecus q̃ Aui-
» cenna & Arabes alii Lepram, aſtruit. Eius hæc uerba: Si cancer
» unum tantum membrum infeſtans, ſecundum ſententiam Hippo
» cratis inſanabilis eſt, quāto magis Elephas, qui cancer quidam eſt
» uniuerſalis, omnem curationem ſuperabit? Quam profecto ſen-
tentiam Auicenna, ut multa alia, ex Paulo mutuatus eſt, Canone
quarto, capite de Lepra, idq; Lepræ tribuit, quod Paulus Elephan
» tiaſi, inquiens: Et cum cancer, qui eſt Lepra membri unius, ſit de
» illis quibus nō eſt ſanatio, quid dicemus de Lepra, quæ eſt cancer
» totius corporis. Haud aliter de Elephantiaſi q̃ Græci, ſcribunt La
tini quoq;, ſed in uniuerſum illis conſentiunt. Celſus enim, Lati-
nus Hippocrates, lib. iij. cap. xxv. de Elephantia in hunc modum
» differit: Ignotus autem pene in Italia, frequentiſſimus in quibuſ-
» dam regionibus is morbus eſt, quem ἐλεφαντίαν Græci uocant,
» iſq; longis annumeratur. Totū corpus afficitur, ita ut oſſa quoq;
» uitiari dicātur. Summa pars corporis crebras maculas, crebroſq;
» tumores habet. Rubor harū paulatim in atrum colorem conuerti
» tur. Summa cutis inæquabiliter craſſa, tenuis, dura, molliſq;, quaſi
» ſquamis quibuſdam exaſperatur, corpus emacreſcit, os, ſuræ, pe-
» des intumeſcunt. Plinius quoq; lib. xxvi. capite primo, a Celſo ni
» hil diſſentiens, Elephantiaſin ita depingit: Diximus Elephantiaſin
» ante Pompei Magni ætatem non accidiſſe in Italia, & ipſam a facie
» ſæpius incipientē. In nare prima ueluti lenticula, mox inualeſcen
» te per totum corpus, maculoſa, uariis coloribus, & inæquali cute,
» alibi craſſa, alibi tenui, dura, ceu ſcabie aſpera, ad poſterum uero
» nigreſcente, & ad carnes apprimente, intumeſcentibus digitis in
» pedibus manibuſq;. Aegypti peculiare hoc malū. Hæc equidem
ſingula clariſſime indicant Elephantiaſin Græcorū & Latinorum
non eſſe diuerſum morbi genus a Lepra, quā Arabes deſcribunt.
Accedit iis omnibus, quod Auicēna eodem de Lepra ſcribit, quæ
» Galenus de Elephantiaſi. Auicenna enim, ubi ſupra ſic ſcribit: Et
» quando aggregatur caliditas aeris cū malitia cibi, & eius eſſentia
» eſt ex genere piſcium, & carne ſalita, & carne groſſa, & carnibus
» aſinorum & lentibus, proculdubio eſt ut eueniat lepra, ſicut multi
plicatur in Alexandria. Quæ quidem Auicennæ uerba ex ſecūdo
libro Galeni artis Curatiuæ ad Glauconem, cap. xv. uidentur de-
ſumpta,

deſumpta, ubi de Elephantiaſi ita loquitur: In Alexandria uero plurimum generatur ex uictus ratione. Comedunt enim farinam elixatam, & lentem, & cochleas, & plura ſalita, et nonnulli ex ipſis carnes aſininas, & alia quædam, quæ craſſum & atræ bilis humorem generant: nam cum aer circunſtans calidus ſit, motus humorum agitur uerſus cutē. Præterea Galenus libro eodem, cap. xvij. Viperarum eſum his, qui Elephantiam patiuntur, eſſe mirabile auxilium docet. Quod idem etiam lib. xi. de Simplicib. Medica. capite ſecundo, duabus elegantiſſimis hiſtoriis, quas ne plus æquo uerboſior ſim prætereo, confirmat. Auicenna autem id genus remedii Lepræ accōmodat, inquiens: Et caro uiperæ eſt de nobilibus medicinis ei. Et paulo poſt Galeni hiſtorias citat, dicens: Et ex potatione quidem uini, in quo moritur uipera, aut uiuit, iam ſanati ſunt quidam accidentaliter, aut intentione interficiendi. Ex iis ſatis ſuperq; demonſtratum eſſe puto, Græcos et Latinos per Elephantiaſin intelligere morbum triſtem, & ipſo nomine, ut ait Q. Serenus cap. x. dirum, eum nempe, quē uulgus totaq; Arabum ſchola Lepram appellat, cum contra Arabes ac iuniores omnes per eandem crurum ac pedum quendam tumorem immodicum intelligant. Reliquum eſt, ut Lepram quoq; Græcorū, diuerſum eſſe morbi genus ab Arabum Lepra demonſtremus, id quod paucis admodum faciemus. Nam cum ex ſuperioribus manifeſtum ſit, Lepram Arabum dirum eſſe ac horrendum morbi genus, & id quidem quod Græci Elephantiaſin nominant, certū erit, Lepram Græcorum eſſe penitus diuerſum. Nam ea a Græcis inter faciles computatur morbos, id quod in primis teſtatur Hippocrates Libro de Morbis, qui extra ita ſcribens: Lepra, pruritus, ſcabies, lichenes, uitiligo, pituita gignuntur, potiuſq; corporis turpe quid ſunt q̄ morbi? Subſcribit Galenus, qui libro de Tumoribus præter naturam ſic ait: Lepra ſolius cutis paſſio eſt. Id quod idem Galenus libro quinto de Symptomatum cauſſis, aliis etiam uerbis indicat, ita ſcribens: In Lepra & Pſora plus eſt ſucci, & ſuccus ipſe craſſior, atq; ob hunc magis crebriuſq; pruriunt hi, q̄ reliqui omnes ſine huiuſmodi affectibus prurientes, ac nihil iuuantur, uel ſi uehementiſſime ſcalpentes detraxerint. Succus enim noxius manet infixus, atq; in cute impactus. Horum certe nihil huic morbo, quem uulgo Lepram appellant, conuenit, quando is non ſolum aſpectu turpis ſit, ſed etiam ingentem cruciatum excitet, nec ſolam cutem, ſed & carnem & oſſa, ſicut ex Celſo diximus, plerūq; uitiet. Quod

P

ſi uero quis obiecerit, Lepræ nomen in Sacris Literis pro graui accipi morbo, huic Auguſtinum obtrudam, qui Lepram coloris uitium, non ualetudinis aut integritatis ſenſuũ atq; membrorum eſſe dicit. Quod uerum eſſe, etiam caput decimũ tertium Leuitici oſtendit, ibidem enim Lepræ notæ atq; inditia enarrãtur, quæ certe præter cutis ac coloris uitium nihil præ ſe ferunt. Vident ex hoc errato ſtudioſi, Arabum medicinam a ueteri atq; Græcorũ in pleriſq; in uniuerſum uariare, ob id diligenter admodum caueant, ne diuerſitate iſta non animaduerſa, in errorum laqueos incidant.

ERROR XLIIII.

NOn tria ſunt cauſſarũm inſalubriũ genera, ut Auicenna, totuſq; recentiorũ Medicorum cœtus arbitratur, ſed duæ tantum in uniuerſum ſunt cauſſæ, interna ſcilicet & externa, uel ut uulgus Medicorum uocat, primitiua & antecedens, coniuncta enim a morbo nihil differt.

Auicenna Fen ij. primi Canonis, ſumma prima, doctr. ij. capite primo, de cauſſarum inſalubrium generibus ita ſcribit: Cauſſæ diſpoſitionum corporis ſunt tres, primitiuæ, antecedentes, & coniunctæ. Hunc deinde imitati ſunt iuniores omnes, eaſdem in ſuis libris cuiuſq; morbi curationi præfixerunt. Verum, quantum ea in re lapſi ſint, facile intelligent hi, qui id genus commenti diligenti examini commiſerint, ad ueterumq; ſcripta exegerint. Veteris enim Medicinæ ſcriptores duo tantum cauſſarum morbi genera ponunt, externam uidelicet & internam, uel ut noſtri loquuntur, primitiuam & antecedentem. Id quod facit Galenus libro primo Therap. Methodi, cap. iiij. in hunc modum ſcribens, Quartum uero ab iis genus ſtatuito, quod ſit inſalubrium, ſiue morbificarum cauſſarum. Atq; harum, quæ quidem in animalis corpore conſiſtunt, internas aut antecedentes nomina. Quæ extrinſecus, externas uel primitiuas. Idem docet lib. ij. de morborum cauſſis cap. ij. ubi ita diſſerit: Redeamus igitur ad id quod propoſitũ nobis erat, nempe ut ſingulorum ſimplicium morborũ cauſſas explicemus, tum præcedentes, tũ procatarcticas. Eas igitur quæ in animali ipſo conſiſtunt, ſiue affectiones ſint, ſiue motiones præter naturam, cauſſas nominant morbum præcedentes. Quæ uero extrinſecus

aduenient, ſi uehementer alterant, immutantq́ corpora, eas interim procatarchontas, interim procatarcticas cauſſas appellãt, qua ſi præincipientes dicas. προκατάρχεσθαι enim uerbum, incipere ſignificat. Quemadmodum itaq́ in Muſicis & choro canentibus fit, in quibus choreæ dux primam carminis modulatus partem incipit, reliquum uniuerſo choro ſilens ipſe canendum relinquit, ſic in huiuſcemodi motus principium intellexiſſe oportet. Ex prædictis porro meridiano ſole clarius erit, Galenum cauſſam coniunctam, inter genera cauſſarum morbum facientes, minime numeraſſe. Proinde cum apud Galenum cauſſæ cõiunctæ non queant aſſignari, colligitur toto cœlo errare Auicẽnam, recentioresq́ Medicos hunc imitantes, cauſſam coniunctam inter reliquas morbi cauſſas numerantes. Non autem Galeni dogmata ſequẽntes, cauſſam coniunctam ſtatuere poſſe, ita probamus. Cauſſa enim coniuncta aſſignata ſequitur affectum principaliter lædentem operationem non eſſe morbum, ſed morbi cauſſam, quod maxime contra Galenum eſt, ſecundũ quem affectus lædens operationem, et non operatio læſa, ſeu actio uitiata eſt morbus. Is enim libro tertio de Symptomatum differentia, capite primo, morbum ita definit: Morbus eſt affectus præter naturam, a quo actio primum impeditur. Id quod multis etiam docet libro primo & ſecundo Therap. Metho. contra Methodicos diſputans, qui actionem impeditam morbum eſſe dixerunt. Quod uero ſequeretur affectum ſeu diſpoſitionem principaliter lædentem operationem non eſſe morbum, ſed morbi cauſſam, hoc ex cauſſæ coniunctæ deſcriptione ſcitur, quæ iuxta Auicennam, Ioannitiumq́, ac totam iuniorũ Medicorum ſcholam hæc eſt: Cauſſa coniuncta eſt, quæ cum adeſt, adeſt morbus: & quæ cum abeſt, abeſt morbus. Hæc em̃ definitio aliud præ ſe fert nihil, niſi quod innuit cauſſam coniunctam eſſe talem affectum, qui primo lædit actionem, id quod indicat iis uerbis, Si adeſt, morbus adeſt. Galeno em̃ cap. viij. Artis Medicinalis, teſte, morbus non dicitur, niſi læſio operationum ſenſibilis adſit. Proinde cauſſa coniuncta iuxta hanc definitionem non erit aliud, q̃ diſpoſitio ſeu affectus principaliter lædens operationem, quod tamen affirmari nõ poteſt. Nam diſpoſitio illa non cauſſæ, ſed morbi meretur appellationem. Cauſſa enim morbi qualiſcũq́ ſit, non impedit læditue actionem primo & immediate, ſed per morbum medium. Nam ſicuti peculiare eſt morbo, primo & immediate lædere ac uitiare actiones ſeu operatiões, ita proprium eſt cauſſæ, nõ

primo, ſed morbo mediante actiones impedire. Idq; ut innueret Galenus in morbi deſcriptione non ſimpliciter dixit, Morbus eſt affectus præter naturã, a quo actio impeditur, ſed addidit primo, ut hoc pacto ſecluderet cauſſam, quæ nõ primo, ſed per morbum medium actionem impedit. Viderit ergo Auicenna, qui ſe Galeni fatetur ac gloriatur interpretem, ne male in hoc interpretetur Galenum, cum Fen ij. primi Canon. doctr. i. cap. ij. ægritudinem eodem, quo Galenus, modo definit: Diſpoſitionem, inquiens, eſſe, per quam hominis corpus in ſua complexione tale exiſtit, ut ex ea omnes operationes eius proueniant impeditæ, & tamen nihilo minus paulo poſt cauſſas ægritudinũ contentiuas ſiue coniunctas ponit, cum iuxta id dogma operatio læſa diceretur morbus, & nõ affectus lædens operationes ſeu actiones primo: quod ut ex ſuperioribus patuit, Galenianis placitis ex diametro pugnat, quæ affectum præter naturam, actionem primo impedientem morbum, actionem uero impeditã morbi, Symptoma dici perdocent. Atq; adeo cauſſa coniuncta ab ijs, qui Galeni ſectam ſequuntur, nõ poteſt tolerari: ab affectu enim primo impediente actionem, nihil differt, huicq; non cauſſæ, ſed morbi nomen competit.

ERROR XLV.

HAllucinantur inter Medicos recentiores non pauci, morbum quem uulgo Gallicũ uocant, eſſe eum quem Græci Lichenem appellant, contendentes, cum is uerius ſit, quem Impetiginem Latini nominant.

Eſſe complures, qui Lichenas a morbo Gallico nihil differre putant, notius eſt, q̃ ut demonſtrem. Vnum tamen Simphorianũ Champerium indicaſſe ſatis ſit, qui capite duodecimo libri ſecũdi ſuæ Practices Lichenem eum morbum eſſe aſſerit, quem Neapolitanum aut Gallicum nominant uulgo. At q̃ falſe, in primis indicat id, quod is morbus in Gallorũ exercitu, qui apud Neapolim Caroli ſui regis auſpiciis belligerabat, primũ circa annum a Chriſto nato M. CCCC. XCIII. apparuit ac irrepſit, ob idq; Gallicus dictus eſt. Lichenas autem Hippocratis uetuſtiſſimi authoris fuiſſe ſeculo certum eſt. Nam is in tertia particula Aphoriſmorum in Aeſtiuorum morborum mentione, & in Libro de Morbis, & paſſim

paſſim alibi Lichenum cõmeminit. Quare Plinius quoq;, Hippocrate iunior, errat, qui Libro Naturalis Hiſtoriæ xxvi. capite primo, Lichenas morbum, ut ipſe ait, grauiſſimum, non Italiæ modo uerum etiam uniuerſæ prope Europæ incognitum ante Tiberii Claudii Cæſaris principatum fuiſſe ſcribit. Hippocrates enim Plinio multo uetuſtior tam crebram de Lichenibus mentionem non feciſſet, ſi eius ætate totius fere Europæ hic morbus fuiſſet incognitus. Verum tamen eſt, quod paucis ante Claudii principatum in Italia fuit cognitus, quia nondum Romano imperio ad exteras nationes propagato nomine carebat, donec Medici Græci, qui urbem Romanam frequentare cœperunt, eundem morbum ſuæ linguæ uocabulo Lichenas nominãtes, fecere illuſtriorem. Meminit & paſſim Lichenũ Dioſcorides, adeo ut clarum iam ſit ex utriuſq; origine, Lichenas non eſſe morbum Gallicum. Proinde λειχὴν Græcis aliud morbi genus eſt, cutis ſcilicet uitiũ & aſpredo, Latini id malũ impetiginẽ dixerunt. Ita Galenus in ſuis definitionibus Lichenas dixit eſſe cum multo pruritu ſummæ cutis aſperitatem. In ſua autem Iſagoge rem copioſius tradidit iis uerbis: Cutis malum eſt Lichen. Duplex eius genus, mite alterum, ferum & difficilius alterum, pelluntur ab eo ex ſumma cute ſquamulæ, rubetq; ſub illis locus tantum, et non exulceratur. Eundem uero eſſe apud Latinos impetiginẽ, qui Lichen apud Græcos, teſtatur in primis Caſſius Fœlix, cuius authoris hæc ſunt uerba: Impetigines Græci Lichenas dicunt, naſcuntur ex Melancholico humore, rotundo ſchemate, in ſuperficie cutis cũ ingenti pruritu. Quod itidem confirmat Cælius Aurelianus libro primo Chronion, cap. iiij. de Lichenibus equorum loquens, dum ait: Sunt autem ſquamulæ anteriorum crurum ſub armorũ partibus in ipſis animalibus natæ, has Græci Lichenas uocant, nos uero Impetigines. Præterea quæcunq; remedia Paulus, Galenuſq;, ac omnes alii Græci authores contra Lichenas docuerunt, eadem fere omnia contra Impetiginem a Q. Sereno, Raza & Auicenna traduntur. Et ut ex multis unum referamus, Græci Lichenibus puerorum ieiunam hominis ſaliuam adhibent, hanc quoq; Q. Serenus Samonicus cap. xi. Impetigini adhibendam eſſe docet iis uerbis: Si uero uitium eſt, quód ducit ab impete nomen, hoc matutina poteris cohibere ſaliua. Idem etiam docet Auicenna Fen vi. Canonis quarti, tract. iij. cap. iij. Accedit etiam, quod Arabes non aliter Impetiginem, ꝙ Græci Lichenas generari tradiderunt, ita ut dubium non ſit, quin

Latinis Impetigo id ſit, quod Lichen Græcis. Annotandũ tamen,
quod ea quæ Celſus de Impetigine ſcribit, Lepræ Græcis dictæ
conuenire: & quemadmodum hic Lepram Impetiginem, ita Li-
chenas Papulas nominauit, quod hinc maxime colligitur. Sicut
enim a Caſſio Fœlice ſcribitur, naſci Lichenas rotunda figura in
ſuperficie cutis, cum ingenti pruritu & aſperitate: ita Celſus lib. v.
›› ait alterum genus Papularum eſſe, in quo per minimas puſtulas
›› cutis exaſperatur, rubet, leniterq; roditur, tardeq; ſerpit, idq; uitiũ
›› maxime rotundum incipit, eademq; ratione in orbem procedit.
Porro quod Galenus ac Paulus dicunt ex Lichenibus diuturnis
fieri lepram, idem Celſus de quadam ſpecie Papularum pronunci
›› at, inquiens: Quæ minus rotunda eſt, difficilius ſaneſcit, niſi ſubla
›› ta eſt, in impetiginem uertitur. Inſuper quemadmodum Galenus
duplex Lichenum genus facit, alterũ mite, alterum ferum: ita Cel
ſus duplices Papulas, alterã mitem ac leuem, alterã quam ἀγρίαν,
id eſt, feram Græci appellant. Et ut Græci Lichenibus, & Arabes
Impetigini ieiuni hominis ſaliua medentur, ita Celſus leui Papulæ
eandem eſſe remedio refert, adeo ut manifeſtiſſimum ſit, Celſum
Lichenas uocare Papulas. Quod uero id malum, quod Græci le-
pram nominant, ſit id quod Celſus Impetiginem appellat, non aliũ
unde certius q̃ ex utriuſq; morbi diffinitione colligitur. Galenus
nanq; in libro Definitionum Medicinalium, lepram ita definit:
›› Lepra eſt tranſmutatio cutis ad contrarium naturæ habitum cum
›› aſperitate & dolore atq; pruritu, ac ſquamularum reſolutione, &
›› quandoq; unam, quandoq; plures corporis partes depaſcitur.
Quæ ſane deſcriptio quadrat in om̃ibus cum Celſi, qui libro quin
to in Impetigine cutem exaſperari, ſquamulas reſolui, roſionem
uehementem eſſe ſcribit, ita ut luce meridiana clarius ſit, Impetigi-
nem Celſi eſſe lepram Græcorum. Plura ea de re doctiſſimus Leo
nicenus in libello de Gallico morbo.

ERROR XLVI.

DEcipiuntur Medici iuniores, Prunã, ſeu ignem
Perſicum, Carbunculum atq; Anthracem di-
uerſa morborũ genera exiſtimantes, cũ tamen unus
ideq; diuerſis iſtis nominibus morbus deſignetur.

Non pauci inter recentiores ſunt Medici, qui Prunã ſeu Ignem
Perſicum

Perſicum, Carbunculũ ue ab Anthrace diuerſum eſſe malum putant: differreq; ea ratione Anthracem a Carbunculo arbitrantur, quoniam Anthrax fiat ex materia maligniore & magis aduſta, q̃ ſit illa, ex qua carbo generatur. Hinc eſt quod de iis etiam in diuerſis capitibus tractarunt. In quorum numero eſt Valeſcus, qui in tantum quoq; deſipuit, ut uerbo Græco Latinam daret deriuationem, anthracem ab antro, quod idem eſt quod fouea, dictũ exiſtimans, quoniam foueam faciat, non intelligens quod ἄνθραξ idem Græcis ſignificet quod Latinis carbo. Ex quo iterũ ſtudioſi deprehendunt, quot errorũ ambagibus irretiant, qui linguarũ peritia carẽt. Non aũt ſunt iuniores Medici, ut inter Anthracẽ atq; carbonẽ ſiue prunã differentiã ſtatuerent, quia uiderũt Auicennã uno capite de pruna agentẽ, mox poſtmodũ altero capite de Althohoin, quẽ ipſi Anthracẽ interpretant, tanq̃ de morbo a Pruna diuerſo, tractantẽ. Razam quoq; in libro Diuiſionum cap. cxxxiiij. de Igne Perſico primũ, mox cap. cxxxv. de Anthrace ſeorſum ſcripſiſſe intellexerũt. At cogitare debuiſſent boni illi uiri, nõ rarũ eſſe Arabis de unare ſub uariis nominibus, tanq̃ diuerſa, alio & alio loco tractaſſe. Quod & hoc loco factum eſſe quis nõ uidet? atq; adeo Auicenna ac Razes de eodem tumore ſub diuerſis nominibus, Pruna ſcilicet & Althohoin, fruſtra in duobus locis tractaſſe iudicabunt. Quamuis Auicenna hoc nomine excuſari poſſit, quod dixerit forte Althohoin eſſe Anthracem nõ in omni tempore, ſed ſolum peſtilente: neq; in omni corporis parte, ſed tantum in glanduloſa, ac præcipue in inguinibus ortum: atq; ita fortaſſis Paulum ſecutus, Althohoin a Pruna, quemadmodũ ipſe Bubonem ab Anthrace ſeu Carbunculo ſeiunxit. Quod uero ἄνθραξ a Carbunculo nihil differat, uel iis qui primis labris tantum, ut aiunt, Græca deguſtarunt, notum eſſe poteſt. Nam ubicũq; Latinus interpres Carbunculum uertit, hic cõtextus Græcus ἄνθρακα habet. Quod ſi autem inter carbones ſiue Prunam atq; Anthracem erit differentia, mirũ admodum Galenum, tantum rei Medices magiſtrum, de Anthrace in eo quem iuniores ſub hoc uocabulo intelligunt ſignificatu, nuſquam in ſuis libris feciſſe mentionem. Tantum enim morbum ac magis q̃ cæteros exitialem latuiſſe Galenum, atq; ideo neq; in libro xiiij. Therap. Metho. cap. x. neq; in ſecundo ad Glauconem capite primo, neq; in libro de tumoribus præter naturam, ab ipſo fuiſſe nominatum, pene ridiculum ſuſpicari. Quare manifeſtum

admodum eſt, Anthracem a Carbunculo penitus nihil differre, id quod & antiquus maxime Galeni interpres non ignorauit, hic enim libro xiiij. Thera. Metho. cap. x. Anthracē, Prunam, Ignem Perſicum, & Carbunculum interpretatur. Cæterum quod Carbunculus nihil ab Igne Perſico ſeu pruna diſtet, non aliunde certius, q̄ ex eorundem deſcriptionibus ſcitur, per omīa enim ſibi quadrant. Galenus nanq; libro ſecūdo ad Glauconem, capite primo,
›› Carbunculum iis uerbis deſcribit: Quum ſanguis influens cali-
›› dus ſufficienter extiterit & craſſus, quodcūq; membrorum ſubito
›› occupauerit hoc comburendo, facit ulcus cum cruſta, quicquid
›› uero circumiacet in inflammationem leuat, & efferueſcentem gra
›› uemq; dolorē infert. Vocatur autem Carbo huiuſcemodi paſſio. Quæ ſane deſcriptio a Prunæ Ignisq; Perſici deſcriptione, quam tradit Auicenna Fen iij. Canon. iiij, cap. ix. nihil differt, ait enim:
›› Hæc duo nomina fortaſſe abſoluta ſunt ſuper omnem puſtulam
›› corroſiuam, ueſicantem, adurentem, facientē accidere Eſcharam,
›› qualem facit accidere combuſtio & cauteriū. Inſuper Anthracem ſeu Carbunculum nihil diſtare a Pruna & Igne Perſico, ex eo colligi poteſt, quia quam curationem Galenus Carbunculo adhibet, eandem Auicenna ac Arabes alii Prunæ accōmodant. Galenus nanq; libro quarto Therap. Metho. cap. x. de curatione Carbun
›› culi in hunc modum ſcribit: Sed & incipiendam ab inciſa uena
›› curationem eſſe, id quoq; neminem latere arbitror. Nec illud ob-
›› ſcurum, ſanguinis uacuationem quæ ad animi defectū uſq; ſit ad-
›› hibita, magis his etiam collaturam. Auicenna uero a prædictis ni-
›› hil uarians, ita de Prunæ Ignisq; Perſici medicatiōe docet. Neceſſa
›› ria eſt phlebotomia, ut euacuetur ſanguis cholericus, & quando
›› ægritudo eſt timoroſa, tunc neceſſarium eſt, ipſam approximare
›› Sincopi. Quibus utiq; uerbis nihil ferme a Galeni præſcripto diſſentit, in hoc tamen Galeno cōtrarius eſt, a ueritateq; deuiat, quod Prunam ſeu Ignem Perſicum a Cholera citrina, liceat enim uti barbaris uocibus, quibus Medici hodie utuntur, generari putat, id quod iis innuit uerbis, ut euacuetur ſanguis Cholericus. Galenus enim libro ſecundo ad Glauconem, ait Carbunculum ſeu Anthracem ex ſanguine craſſo ac Melancholico feruente generari. Quē ſecutus Paulus & reliqui Græcorum Medici, dixerunt fieri Carbunculū, cum referbuerit ſanguis copioſiore atra bili abundans, et in reliquam partem ingruerit. Videat igitur Auicenna, ſi Pruna ex Cholera citrina ſit, quomodo hic curationis modus ſibi aut ra

tioni

tioni conueniat, qui ſanguinem eſſe frenum Cholerae ubiq; inſinu at, & primo libro cauendum eſſe admonet, ne ſuperflua ſanguinis miſſione aegrum ad humorum biliosorum ebulitionem perducamus. Quare, ſi ipſius in aliis locis doctrinam ſequimur in morbo ex Cholera ſeu ſanguine Cholerico facto, phlebotomia non competit, uel non tanta, ut ad Sincopen uſq; perducat. Quare falſum in uniuerſum eſt,, quod Auicēna dixit Prunam ex Cholerico ſanguine generari, cū magis ex craſſo & Melancholico fiat. Id quod met ipſe Auicenna, ſibi ipſi contradicens, Fen iij. Canon. iiij. tractatu primo, capite primo teſtatur, inquiens: At uero ex ſanguine „ groſſo malo fiunt ſpecies exiturarum malarum. Nam ſi eius mali „ tia uehemens fiat, & ipſius aduſtio proueniet Eryſypela, & ueniet „ combuſtio & cruſta, & deterior, ea eſt Ignis Perſicus. Errat praeter „ ea Auicēna, ac a Galeno ratio neq; ipſa diſſentit in Pruna uel Igne Perſico, quando materia eſt decliuis ad Choleram, iis enim uerbis utitur, ſcalpellationem profundam prohibens, & tamen capite ſuperiori, ſexto ſcilicet, ubi egit de Formica, ſuaſerat ex Galeni ſen „ tentia, extirpare Formicam cum aliquo quod ſit ſicut Embuba & „ extremitas pennae aut alterius rei, cuius extremitas ſit acuta, quam „ poſſibile ſit deglutire Formicam. Atqui haec extirpatio Formicae „ ſi diligenter inſpiciatur, multo eſt uiolentior quā ſcalpellatio, ut ſi hanc timet Auicenna, quando materia eſt decliuis ad Choleram, multo magis tale aliquid facere, debuerat formidare in morbo ex materia non decliui ad Choleram, ſed mera Cholera, ut ipſe opinatur, procreato. Falſo autem allegauit Galenum, id enim artificium ait eſſe conueniēs non ad tollendam Formicam, uel miliarem, uel corroſiuā, ſed quoddam potius genus uerrucaꝝ, quas Graeci μορμηκίασ, id eſt, Formicas appellant. Notus eſt ergo error Auicennae ex nominis ambiguitate, quia eñ Graeci puſtulas quaſdam ex humore Cholerico genitas ſolam cutem occupantes atq; etiā ſerpentes, ab hac ſerpendi natura Herpeta uocant. Arabes quoq; a ſimili proprietate eaſdem puſtulas Formicam nominarunt. Sunt uero & quaedam genera Verrucarum, quae Graeci μορμηκίας, nomine ſumpto a formicis, appellant, quia ſenſum quaſi ſint morſus formicarum, patientibus inferunt. Has quoq; Verrucas Arabes ad imitationem Graecorum, Formicas nuncuparunt. Quo fit, ut uerbum Formica, apud Arabes duorum morborū generibus, quamuis natura differentibus, accommodetur. Auicenna ergo utranq; Formicam, tam pro puſtulis Cholericis, q̄ etiam pro Ver

rucis acceptam, atq; utriuſq; morbi curationem in uno capite copulauit, licet alter ex humore tenui & bilioſo fiat, alter ex craſſo ac Melancholico, atq; ideo ut genere diſtinguuntur, ita diuerſum genus curationis expoſcunt. Puſtulæ ſiquidem bilioſæ uel ſola totius corporis purgatione, uel etiam emplaſtris ſuper locum affectum impoſitis, nonnunq̃ autem manu curantur. Verrucæ uero, ut docet Galenus lib. xiiij. Artis Curatiuæ, cap. xvij. cum aliis inſtrumentis, tum etiam pinna ita adaptata, ut totam Verrucam ſua cauitate comprehendat, atq; adeo firmiter hæreat, quod ea deſubter acta Verruca radicitus euellatur. Quem etiam modum docet Auicenna Fen vij. Canon. iiij. cap. xiij. & hunc locum uere potuit ad Galenum authorem referre. Sed ubi oportuit Galenum citare teſtem, ibi eius teſtimoniū prætermiſit: ubi uero reticere, quoniam nō de Verrucis, ſed Formica potius corroſiua curanda agebatur, perperam allegauit. At ſolent omnia Auicennæ fere placita eſſe talia, in quibus fides deſyderatur. Quod uero ſcarificatio Prunæ ſeu Carbunculo ſit adhibenda, docet Galenus lib. xiiij. Therap. Methodi, cap. x. dicens: Quinetiā ſcarificare eiuſmodi tumores poſt ſanguinis miſſionem, alienum non ſit. Sunto autem inciſiones mediocribus altiores, propter infeſtantis humoris craſſitiem. Quibus uerbis Galenus Auicennæ ſententiam penitus damnat: nō enim ſolum ſcarificationem adhibendam eſſe docet, uerum etiam non ex bile, ſed craſſis magis humoribus prouenire Carbunculum innuit. Ex iſtis ſatis conſtat, Prunam ſeu Ignem Perſicū, Carbunculumq; eſſe idem morbi genus, non obſtante, q̃ Auicenna in eius morbi curatione nonnihil a Galeno diſſentiat, ſolet enim is homo plerunq; morborum curationes confundere, id quod ſequenti errore dilucidum fiet.

ERROR XLVII.

Hallucinatur Auicēna, Eryſypelam, Formicam Miliarem, Ignemq; Perſicum, morbos natura diſtantes, eorundemq; curationes confundens.

Primum omniū Auicennam cōfundere Eryſypelam cum Formica Miliari, certum fit ex Fen iij. Canon. iiij. Tracta. primo, cap. iiij. ubi inter cæteras Eryſypelæ notas hanc etiā ponit, quod comburit, & ſua uirtute ueſicat. Quæ ſane magis propria eſt alteri morbo, de quo agit in ſequenti capite, quem ipſe Formicam Miliarem,

Galenus

Galenus uero & Paulus ἑρπῆτην κεγχρίαν, id eſt Herpeten Miliarem, ea potiſſimum ratione nominant, quod ſerpit, atq; in cute ueſicas ſiue puſtulas milio ſimiles excitat. Galenus eñ lib. ij. ad Glauconem, capite primo, ita de ea tradit: Altera uero Miliaris, quoniã in hoc affectu puſtulæ paruæ ac multæ per ſummam cutem ſimiles miliis excitantur. Fit autem Herpes huiuſcemodi ex bile quidem ipſa, ſed minus calida & acri. Ita & Paulus Aegineta de eadem ſcribit: Si uero tenuis bilis, minorecq; acrimonia fuerit, & calore exiguas puſtulas milii ſeminibus ſimiles in ſuperficie cutis excitarit, Miliaris Herpes a ſimilitudine nominatur. Ita & Fen iij. quarti Canonis, tracta. i. cap. i. Eryſypelæ notas cũ Anthracis ſeu Ignis Perſici cõfundit: nam aſtruit Eryſypelam e ſanguine groſſo et aduſto procreari, euenireq; in eo cruſtam & combuſtionem: quas ſingulas notas Galenus libro ſecundo ad Glauconem Anthraci accommodat. Non autem ſolum prædictorum morborum notas, ſed etiam curationes confundit Auicenna. Nam remedia, quæ ipſe adhibet ad Eryſypelã ſuper cutem exiſtentem, ſunt quæ a Paulo ad Formicam Miliarem, ſeu ut ut ipſe uocat, ad Herpetem puſtuloſum accommodantur. Pauli uerba hæc ſunt: Ad Herpetem puſtuloſum ſcoria plumbi ex uino auſtero contrita, mox illinita, cataplaſma ex foliis Betæ in uino decoctis ſuperimpone. Hæc remedia Auicenna ad Pauli imitationem ſcribẽs, Eryſypelæ adſcribit, ita inquiens: Et ſi fuerit Eryſypela ſuper cutem, curetur ex ſcoria plumbi, cum uino Pontico bullito, cum foliis Siclæ bullitæ cum uino. Sed & uerba ſequentia apertiſſime monſtrant, quod curatio Eryſypelæ apud Auicennam Formicæ Miliari potius conueniat. Statim enim ſubiungit: Et curetur cum eo, in quo eſt reſolutio & exiccatio fortis cum infrigidatiõe. Nemo enim eſt qui neſciat, niſi qui tritum illud in Medicina principium ignorat, Contraria contrariis curari, Eryſypelæ morbo calido & ſicco fortiter exiccantia non competere, ſed magis Formicæ Corroſiuæ, ſeu Herpeti exedenti. Quod confirmat Galenus, qui libro ſecundo Artis Curatiuæ ad Glauconem cap. iij. in hanc ſententiam ſcribit: Herpes autem, quantum ad totius corporis euacuationẽ attinet, ut Eryſypelata curare oportet. Quantum uero ad ipſius particulæ patientis locum, non omnino ſimilis cura adhibetur. Nam qui exedentes ſunt, refrigerari quidem deſyderant, ſimiliter aliis Herpetibus & Eryſypelatis: nõ tamen ea ferũt medicamẽta, quæ præter id quod refrigerant, etiam humectare natura apta ſunt, ſed ſola admittunt

›› refrigerantia, quæ etiã maxime poſſunt exiccare. Ex quibus utcꝗ; Galeni uerbis tria colligimus. Primum eſt, quod idem ſit Herpes exedẽs, de quo agit Galenus, & Formica corroſiua, de qua tractat Auicenna, id quod etiam maxime liquet ex iis quæ Auicenna de Formicę corroſiuæ curatione ſcribit, nam eadem ſunt his, quæ de Herpetis exedentis cura præcepit Galenus, uerba eius hæc ſunt:
›› Via autem ſecundum quam curatur Formica eſt, ut quæ ex ipſa
›› eſt corroſiua, alienetur ab humectatione, quam iam adminiſtraſti
›› in Eryſypela: humectatio enim nõ eſt conueniens in hulceribus. Secundum, quod ex uerbis Galeni colligitur, eſt, quod ſortiter exiccantia non conueniant Eryſypelæ, ſed Formicæ corroſiuæ. Tertium eſt, quod omnis humectatio ſit prohibenda in Formica cor-
›› roſiua,, ſeu Herpete exedente, hinc eſt quod mox ſubiungat: Nõ
›› igitur uel Lactucam, uel Poligonium, necꝗ; ex ſtagnis Lentem, aut
›› paluſtrem Lotum, uel Anthylion, uel Pſylion, uel Portulacã, uel
›› Serim, uel Semperuiuam, uel tale aliquid, quod refrigerare poſſit
›› atcꝗ; humectare, apponendum, quæ Eryſypelatibus erant oppor
›› tuna. Ex iis itacꝗ; craſſus admodum Auicennæ error manifeſtatur, qui has ipſas herbas, uel magnam earum partem in principio cu-
›› rationis corroſiuæ Formicæ probat, inquiens: Et adminiſtra in
›› principiis eius poſt ſicut Lactucã & Nenuphar, & Semperuiuam.
›› & Volubilem, & Portulacam. Adeocꝗ; Auicenna ſibiipſi pugnat, nam paulo ante dixerat, ꝙ ea quæ debetur Eryſypelæ humectatio ſit fugienda in curanda Formica corroſiua, mox tamen lactucam, Semperuiuam & Portulacam iubet adhiberi, quæ Galenus lib. xiiij. Therap. Meth. cap. iij. ad Eryſypelæ quidem curationẽ cõmendat, in ſecundo uero ad Glauconem in Herpete exedente, propter eorum humiditatem cenſet euitanda. Itacꝗ; iam ſatis conſtat, Auicẽnam Eryſypelam pro Formica, et e regione Formicam pro Eryſypela, nõ ſine magna confuſione, accepiſſe: ſiquidẽ quæ erant Eryſypelæ remedia refrigerãtia & humectantia, ea Formicæ corroſiuæ adaptauit: quæ uero Formicæ competebãt, exiccantia ſcilicet, hæc retulit ad Eryſypelam, tantus eſt Auicenna Medicinæ magiſter. Nec minori, ſed aliquanto maiori in Pruna & Igne Perſico uſus eſt confuſione Auicenna: nam quid ſit Ignis Perſicus, apud eundem nõ ſatis conſtat. Aliquando enim ipſum ex ſanguine craſſo & Melancholico docet generari, ut facit Fen iij. Canon. iiij. tracta. i. cap. i. iis uerbis: At uero a ſanguine groſſo malo fiunt ſpecies exiturarum malarum. Nam ſi eius malitia uehemens fuerit

& ipſius

& ipſius aduſtio, proueniet Eryſypela, & eueniet cōbuſtio & cruſta, & deterior eſt, Ignis Perſicus. Aliquando uero ex bile flaua, ut errore præcedenti indicauimus, conſtare affirmat. Inſuper Ignem Perſicum nunc idem genus facit, ut uere eſt cum Pruna, ſicut Fen iiij. Canon. iiij. tracta. i. cap. ix. ubi ita ſcribit: Hæc duo nomina ab ſoluta ſunt ſuper omnem puſtulam corroſiuam ueſicantem, adurentem, faciente accidere Eſcaram, qualem facit accidere combuſtio & cauterium. Nunc uero diuerſum a Pruna, ut cum eodem loco ait: Ignis Perſicus eſt magis Cholericus, Pruna uero magis Melancholica. Quandoq; etiam trahit ipſum ad Formicam corroſiuam, ſicut cum eodem loco ſcribit: Et quandoq; abſoluitur nomen Ignis Perſici de illis, ſuper quo eſt illic puſtula de genere Formicæ comeſtiuæ, adurans, ueſicans, in qua eſt aliquid ambulans. Interdum ad Formicam Miliarem transfert, ut cum capite prædicto inquit: Et quandoq; ſunt cum Formicæ ſpeciebus & Miliaris malæ, febres uehemētis caliditatis, pernitioſæ. Quaſi apud ipſum Auicennā Ignis Perſicus & Formica Miliaris nō differrent. Neq; multū referat, utrum Ignis Perſici uel Formicæ Miliaris ſigna manifeſtet, idem quoq; Auicenna Fen iiij. Canon. iiij. tracta. primo, capite primo de apoſtematibus & puſtulis, Ignem Perſicum non Formicæ Miliari, ſed potius Eryſypelæ in naturæ uicinitate conſociat, dum ita ſcribit: At uero ex ſanguine groſſo & malo fiunt ſpecies exiturarū malarum, nam ſi eius malitia uehemens fiat, & ipſius aduſtio proueniet Eryſypela, & eueniet cōbuſtio & cruſta, & deterior ea eſt, Ignis Perſicus. His uerbis Auicenna Ignem Perſicū facit nō modo in materia, ſed etiam in forma cum Eryſypela communicare: neq; hoc in loco nominati ab eo Eryſypela & Ignis Perſicus morbi, aliter differunt, niſi quod alter altero deterior eſt. Iam cum manifeſtum ſit Ignem Perſicum ſeu Prunam Auicennæ non ſatis fuiſſe cognitū, nihil mirum, ſi ſtatim in initio curationis erret, uenæ ſectionem ob id conferre docens, ut ſanguis euacuetur bilioſus. Qui error cum præcedenti errato ſatis ſuperq; ſit impugnatus ideo hic plura non addemus. Plura tamen ſi qui cupiunt, Leonicenum, nunquā ſatis laudatæ eruditionis hominem, legant. Animo expendant iam ſtudioſi ueritatis, quantæ in Auicennæ Canonibus ſubſint tenebræ, quantæ deniq; errandi occaſiones, quādo uix duæ ſint paginæ, in quibus hic homo nō mox ſibi pugnantia ſcribat, quod utinam aliquando animaduertant, qui eundem ſatis temere Medicinæ principem ſtatuunt.

ERROR XLVIII.

ERrat Auicenna plane infantiliter in curatione Althohoin, id eſt, Bubonis peſtiferi, remedia reprimentia adhibenda docens.

Satis notum eſt ex iis, quæ in errorem quadrageſimum ſextum annotauimus, Althohoin apud Auicennam eſſe Carbunculum ſeu Anthracem, & eum maxime qui peſtilentiæ tempore in inguinibus, quæ Græci Bubones appellant, oritur. Id quod etiam indicant uerba Auicennæ, quæ ſcribit Fen iij. Cano. iiij. tracta. primo,
» cap. xvij. inquiens: Antiquiſſimi Medicorum nominauerũt eum
» nomine, quod translatum eſt in Arabico Althohoin, omne apo-
» ſtema exiſtens in membris glanduloſæ carnis. Præterea Althohoin Auicẽnæ eſſe Bubonem peſtiferũ, facile deprehendet, quiſquis eiuſdem de Althohoin uerba cũ iis, quæ Paulus Aegineta de Bubone ſcripſit, contulerit: ſunt enim eadem quaſi remedia, quibus Auicenna Althohoin, & Paulus Bubonem curat. Βουβῶνας uero omnium generum præter naturam tumores in quacunq; corporis parte factos, Græci quondam uocabant. Paulatim deinde ad certa aliqua genera contracta fuit uox, priuatimq; dicti Bubones, qui aut offenſa propinqua parte, aut hulceribus aliis, aut doloribus ſine periculo plerunq; adnaſci conſueuerũt. Aut qui per peſtilentiã in febribus præſenti periculo ingruere ſolẽt in inguinibus, alis, colloq;. Hinc Paulus iuxta duplicem etiam Bubonem, alterũ qui fit a cauſſa extrinſeca, atq; adeo ex ſanguine nõ neceſſario maligno: alterum qui fit, ut diximus, ex materia uenenata, tempore præcipue peſtilentiæ, ſuam quoq; curationem diſtinxit. In primo quidem Bubone inchoante, Paulus utitur refrigerantibus atq; adſtringentibus medicamentis, ueluti ſpongia ex Puſca, & lana ex uino & oleo acerbo, uel Roſaceo, uel melino, uel Lentiſcino, uel Myrtino: nullum enim ex his in tali Bubone periculum imminet, ut quiuis artis Medicæ peritus intelligit. In ſecundo uero refrigerantibus atq; adſtringentibus, reprimentibuſq; remediis nequaq̃ utitur. Secutus in hoc Galenum, qui libro xiiij. Therap. Methodi cap. x. de Carbunculi peſtilentiæ tempore exorti curatione in hũc
» modum ſcribit: Imponi autem ſibi laborans particula quod ad in-
» flammationem ſpectat refrigerantia deſyderat. Cæterum propter
» humoris craſſitudinem, atq; etiam malitiam nec fluxionẽ auertere

poteris

poteris: et ſi quando id feceris aliud quippiam, quod in alto ſit corpore offendes. Galenum quoq; imitantur om̃es noſtræ ætatis Medici, qui Bubonibus iſtis nullo pacto refrigerantia, reprimentiaq; medicamenta, ſed calida potius & digerentia, diſcutientia ue adhibent, probe intelligentes reprimentia medicamina ad interiora impetum uenenatorũ humorum uertere. Hoc uero non animaduertens Auicenna, nulla adhibita diſtinctione, remedia ex reprimentibus adhibet in principio ad Althohoin, id eſt, Bubonem peſtiferum, quibus nihil poteſt in hoc malo eſſe periculoſius. Auicennæ hæc ſunt uerba: Althohoin uero ipſum, & quod currit curſu eius de eis quæ nominata ſunt, curetur in principio cum eis, quæ conſtringunt & infrigidant, cum ſpongia infuſa in aqua & aceto, aut in oleo Roſarũ, aut oleo de pomis, & arbore Maſticis, aut oleo de Myrto, iſta fiunt in principio. Quibus uerbis manifeſtum fit, Auicennam hæc remedia accommodare Buboni peſtifero, quæ Paulus ei qui a cauſſa primitiua, ſeu extrinſeca oritur, adhibuit, ita ut iam ſatis conſtet, Auicennam ſua fere omnia utcũq; ſine iuditio ac delectu corraſiſſe, quando remedia quæ huic debentur morbo, alteri appoſuit, adeo ut præter confuſum quoddam chaos in authore hoc nihil oſtendere poſſis. Mirum igitur eſt, cur Canonem, quem Fen prima, Canone primo, capite primo ponit, nõ animaduerterit, quo innuit in omnibus apoſtematibus calidis adhibenda eſſe in principio, quæ repellant & infrigidẽt, demptis iis quæ ſunt de materiis, quas principalia membra expellunt. Quis eſt uero quĩ neſciat cerebri emũctoria eſſe Adenes quæ ſunt collo: cordis, quæ ſub alis: hepatis autem, quæ ſunt in inguinibus? Proinde nunquã licet Medico, his reprimentia adaptare medicamenta, maxime in peſtiferis Bubonibus, quando alias ad nobiliora membra, quæq; in alto corpore ſita ſunt, humores detruderentur, quod non ſine magno ægri pernitie fieret. Non deſunt tamen, qui in Auicennæ excuſationem dicant, quod uidelicet uoluerit non ſuper ipſum Althohoin, ſed potius partes ipſi uicinas, ne corruptio perambulet, reprimentia imponi medicamina. Quibus reſpondeo, in hoc genere morbi præſtare ſemper nõ ſolum ad locum affectum, ſed etiam proxima tabem peſtiferam quantũ fieri poteſt euocare. Si enim a locis circunſtantibus repercutiatur, quantum ab extrinſecis partibus, ignobilioribuſq; mali depelletur, tantum ad intrinſeca, & plerunq; letalia detrudetur. Illud deniq; in peſtilentia obſeruatum eſt, quanto plures cutis exterioris partes afficiuntur, tota ui

noxia foras prodeunte, tanto minus ſubeſſe periculi, ſicut ubi unũ ſolum locum occupauerit Carbunculus, ægri ſalus pene deſperata eſt. Non eſt ergo, quod Auicenna ab errore excuſari queat.

ERROR XLIX.

ABerrant noſtræ ætatis Medici, immodicis medicamentis purgantibus febricitantes, tertiana maxime correptos febre, excarnificantes, cum alterantibus uti remediis, iuxta Galeni placita, magis conſultum ſit.

Nemo eſt qui ignorat, q̃ omnes ferme noſtri ſeculi Medici id maxime conentur, ut in Febribus intermittentibus, tertiana etiam exquiſita, non ſemel, ſed iterum atq; iterum purgantes medicinas propinent deuorandas. Id quod ipſe quoq; olim, nõ ſine maxima corpuſculi iactura, expertus ſum. Quàm uero erroneum ſit, primum ueterum teſtimoniis, deinde etiam ratione una aut altera demonſtrabimus. In primis itaq; inter Latinos occurrit Cornelius
» Celſus, qui libro ſecundo, capite undecimo ita ſcribit: Ergo nun-
» quam in aduerſa ualetudine medicamentum eius rei cauſſa recte
» datur, niſi ubi is morbus ſine Febre eſt. At ubi Febres ſunt, ſatius
» eſt eius rei cauſſa cibos potioneſq; aſſumere, qui ſimul & alant, &
» uentrem molliãt. Oribaſius quoq; in Medicinæ Compendio ait:
» Crudi autem exiſtentes humores, antequam incipiant generare
» ægritudines, caute ſunt euacuandi, iam autem Febrientes nullo
» modo. Galenus etiã libro primo Artis Curatiuæ ad Glauconem,
cap. ix. de tertianæ exquiſitæ curatione in hunc modum ſcribit:
» Marinæ autem aquæ, ſalſæ, nitroſæ, atq; ſulphureæ plus quidem
» bilis educunt, ſed multo minus q̃ potabiles proſunt. Præſtat uero
» neq; ipſas utiles dicere, quandoquidem plus qualitate nocent q̃
» euacuationibus iuuent. Equidem noui quendã corrupto iudicio
» iiſce balneis uti perſuaſum, deinde extenuato corporis habitu, ad
» tantam ueniſſe pernitiem, ut tabe conſumptus interiret, reliqua ue
» ro uictus ratio ad bilem etiam excernendam exhibeatur. Semper
» autem oportet contrarias qualitates illis quæ præter naturam in-
» ualuerunt opponere, cum hoc multo plus iuuet, q̃ quomodolibet
» euacuare, ſed neq; hoc ipſe nouerat, neq; ab alio docente didice-
» rat. Quibus ſane uerbis Galenus manifeſtiſſime docet in tertiana

Febre

Febre, id magis conari debere Medicum, ut cõtrariis qualitatibus Febrem oppugnet, ꝙ ut quomodolibet euacuet, quando euacuationes iſtæ ſubinde plus qualitate noceãt, ꝙ expurgando proſint. Proinde, ſi aquæ ſalſæ & nitroſæ tantum huic, de quo ſcribit Galenus, obſuerunt, ut ad tabem peruenerit, cur nõ itidem deiectoriis medicamentis, iiſq; immodicis, fieri poſſet? quæ certe prædictis pariter multum bilis educunt, attamen qualitate ſua nõ minus obſunt. Et fuerunt non pauci, quos Medici hoc pacto ad tabem deduxerunt. Hinc ut in exhibendis purgatoriis medicamentis, in acutis morbis, cautos redderet Medicos Hippocrates, ita prima Aphoriſmorum xxiiij. præcepit, ἐν τοῖσιν ὀξέσι πάθεσιν ὀλιγάκις καὶ ἐν ἀρχῇσι τῇσι φαρμακείῃσι χρέεσθαι, καὶ ταῦτα προεξευκρινήσαντας ποιέειν. Id eſt, In acutis paſſionibus raro, et in principiis medicinis purgantibus uti, & hoc cum præmeditatione faciendum. Neq; tamen temere id feciſſe Hippocratem conſtat, quando ut Galenus in eius Aphoriſmi explicatione ſcribit, neq; periculum minimum in morbo acuto, uti purgante medicamento, cum omnia id generis ſint potentia calida: Febris uero quatenus Febris eſt, & ſui ratione nedum calefacientibus atq; exiccantibus, ſed potius contrariis, hoc eſt, humectantibus et refrigerantibus egeat. Quare ut paulo poſt ait Galenus, ſi exhibetur medicamentũ purgans, oportet conſyderare, an maior ex noxiorum humorum euacuatione fiat utilitas, ꝙ conſequatur detrimentũ. Erit autem utilitas, ſi abſq; moleſtia omis humor noxius & infeſtans euacuetur: ut uero hoc fiat, primo oportet conſyderare, nunquid æger idonee ſe ad huiuſmodi purgationem habeat. Sed quia calidi & ſicci ut plurimum tertiana Febre corripiuntur, ob id etiam reliquis minus, ut tali maxime apti, ad purgantia medicamenta idonei erunt. Præterea ſi Galeno credimus lib. x. Therap. Metho. cap. v. inedia calidis & ſiccis corporibus maxime noxia eſt. His uero qui in calida et ſicca æſtate Febre laborant, quæ ſcilicet ex uſtione, aut labore immodico, aut uigiliis, aut comprehenſis iam animi motibus ſit contracta, non tantum noxia eſt, ſed ſi quicquã aliud plane pernitioſa, quippe uel in Febres ardentes ex ea incidunt, a quibus niſi prius mors occupet, in Hecticas migrant, atq; ab his in Maraſmum, uel protinus ardentibus præteritis in Hecticas. Quod ſi itaq; calidas & ſiccas naturas tantum malum ex inedia corripit, cur idem non & ab immodicis deiectoriis medicamẽtis, quæ ſubinde inedia multo magis corpus

exhauriunt, cõtingeret? Porro cum curatio tertianæ & omnium quoq; Febrium putreſcentium in hoc ſita ſit, ut humores noxii Febres facientes euacuentur, & calor qui præter naturã inualuit, expugnetur, calor autem in tertiana multo humoribus noxiis maior ſit, ideo in eiuſdem medicatione, ut antea ex Galeni quoq; decreto diximus, Medicus magis ad cõtrariam qualitatẽ expugnandam animum uertat, q̃ ut quomodolibet euacuet. Quod nõ ideo dixerim, quaſi in uniuerſum febrientes purgatoriis medicamentis non eſſe tentandos putem, quando euacuatio per eadem commode facta, iuxta Galeni etiam ſententiam, a ratione nõ ſit aliena. Hoc unum aũt moneo, ne iterum atq; iterũ adhibeatur, atq; hoc pacto ægrum ad tabem uſq; perducat. Et id uoluit quoq; Auerrois libro
›› vij. colliget, cap. xi. in hunc modum ſcribens: Hæc Febris ſi fue-
›› rit pura tertiana, erit ſecura & abſq; periculo. Et ſcimus certiſſime,
›› quod natura habebit dominiũ ſuper hunc humorem, & propter
›› hoc non debemus eum mouere cum medicinis attractiuis, ſicut eſt
›› Scammonia, eo quod rectificando eam quantum plus poſſumus,
›› ſemper membris principalibus habet inducere nocumentum, &
›› propter hoc uirtutem debilitat, & auget etiam caliditatẽ febrilem
›› & ſiccitatem ſuam. Et ſi aliud non induceret nocumentum, niſi co
›› namen ſurgendi & decumbendi, modicum nõ inueniretur, quia
›› complexio inde ſupercaleſit et debilitatur. Sed apparente ſigno di
›› geſtionis, non eſt malum, dare aliquam medicinam attractiuam in
›› hunc modum, ut des ea quæ habent lenire materiã & humectare.
Proinde diligenter admodum Medicæ profeſſionis candidati, iſta animo perpendant, nec plus æquo ad purgatoria medicamenta febrientibus propinanda ſint propenſi, ſed alterantibus etiam remediis aliquem eſſe in iis curandis locum ſinant.

ERROR L.

DEuianta uero noſtri ſeculi Medici, qui febrientibus balneo interdicunt, cum tamen ueterum teſtimoniis ad Febrium curationẽ balneo commode adhibito, nihil ſit utilius.

Mirari profecto ſatis non poſſum, quo pacto magna Medicorum noſtri temporis pars in eam deuenerit inſaniam, ut febricitantes omẽs, tertiana etiam exquiſita correptos Febre, a balneo penitus arceant

tus arceant

tus arceant, cum tamen id nullius authoritate, nec ratione aliqua ualente ratum ſit. Razam fortaſſis obtrudent, qui tracta. x. cap. iiij. de Cura tertianæ Febris in hunc modũ ſcribit: Cum Febris ægrũ dimiſerit, adhuc eodem regimine quo prius, poſt Febrem per tres dies erit regẽdus. Quibus trãſactis, pullina caro aut hedina danda eſt. Interim tamen a balneo & ſole & uino abſtinendus eſt. In quibus uerbis Razes inſinuat, in tertianis Febribus etiam poſt depugnatam iam Febrem non eſſe balneandum, at q̃ ſtolide, ſatis indicant ea quæ docet Galenus libro primo Artis Curatiuæ ad Glauconem, cap. ix. de Curatione Tertianæ exquiſitæ ita ſcribens: Balnea uero calida ex aqua potabili proſunt, tum quia aliquid bilis educunt, tum etiam quia ſua qualitate plurimum iuuant, nam huiuſcemodi balnea humectant, & potentia refrigerãt. Et paulo poſt At qui balneis admodum delectantur, ſi etiam bis in die lauari per miſeris, non aberrabis, ſed illud ſemper habeto in memoria, ut in tempore id faciant: ſi uero etiam coctionis ſigna oſtendantur, tũc etiam ſi ſæpius laueris, nihil deliqueris. Quibus utiq; uerbis Galenus edocet, balneum in Tertiana exquiſita non ſolum poſt concoctionem, ſed etiam ſtatim circa initia eſſe utile, id quod iis uerbis indicat, Si uero coctionis ſigna oſtendantur, tunc etiam ſi ſæpius laueris, nihil deliqueris. Quaſi dicat, ante concoctionem ſemel aut bis, ſi delectentur, in die tuto lauari poſſunt, concoctionis autem notis apparentibus, ſi ſæpius etiam lauentur, nihil oberit. Quod clarius oſtendit capite ſequenti de Tertianæ notæ curatione, eandem ad exquiſitæ curationem comparans, dum inquit: In tertianis uero non exquiſitis neq; ſtatim circa initia balneare expedit, quemadmodũ in exquiſitis intellige, ſed cum primũ coctionis ſigna apparuerint. Conuenit aũt ideo Febribus, tertianæ præcipue, balneũ, eo q̃ ut Galenus ait, potentiam humectat atq; refrigerat, αἱ ὑγραὶ δὲ δίαιται, Hippocrate ſcribẽte, πᾶσι τοῖσι πυρεταίνουσι ξυμφέρουσι, Id eſt, Victus autem humidus febricitantibus om̃ibus confert. Quod uero balneum aquæ dulcis, de quo uniuerſo hoc errore nobis mentio eſt, non ſolum humectet, uerum etiam refrigeret, præter Galenum etiam oſtendit Hippocrates libro ſecundo de Ratione uictus ſic ſcribẽs: Dulcis aqua madefacit & refrigerat. Et præter iam dicta Galenus lib. x. Therap. Metho. cap. vij. Soliũ aquæ dulcis etiã recenſet inter remedia, quæ extrinſecus admota, corpus refrigerant & humectant, ait enim: Extrinſecus corpori accedunt tum aer ipſe qui nos ambit, tum pharmaca, quæcũq; hu-

Pri. Aph. η.

„ mectandi refrigerandiq; uim obtinent, & tertiũ præter hæc, dul-
„ cis aquæ ſolium. Id quod facit libro quoq; undecimo, cap.x. His
omnibus accedunt & ea, quæ ſcribit Alexander Græcus libro ſe-
„ cundo, cap.ccvi. de balneo dicens: Didicimus quia balnea de dul
„ ci aqua quæ fiunt, infrigidandi & humectandi uim habent atq; uir
„ tutem: infrigidant enim interiora. Si itaq; balneum refrigerandi
& humectandi uim habet, ut ueterum teſtimonio probauimus,
quid eſt cur id ſuo tempore febrientibus accõmodare uereamur?
cum ſua qualitate Febrium naturę in uniuerſum repugnet? Quod
autem in reliquis quoq; Febribus, præter tertianã, balneo uti con-
ferat, docet Galenus etiam, qui lib.x. Therap.Metho. cap.x. Fe-
bribus eſſe utile balneũ & per ſe & ex accidenti ſcribit. Nam cum
uacuatio quidem excrementorum omni Febri utiliſſima ſit, & in
balneo neceſſario ob æqualem per omne corpus calorem, exigu-
orum meatuum rarefactio, denſatorum uero fuſio, atq; adeo tan
dem excrementorũ multa euacuatio ſuccedat, conſequitur & bal
„ neum prodeſſe. Hinc lib.ij de Tabe, cap.ij. inquit: Earum autem
„ Febrium, quæ ob humores putrefactos fiunt, poſt humorum co-
„ ctionem, ſanatio eſt balneum. Hippocrates deniq; non ſolum *in*
tertiana, ſed & quartana Febre balneandum eſſe docet libro ſecun
do & tertio de morbis. Celſus quoq; nõ uno in loco balneandum
eſſe admonet, ut hoc pacto frigus Febriũ præueniatur. Auerrois
„ item lib.vij. colliget, cap.x. dicit: Et ſcias quod balneũ in declina
„ tione Febrium collaudatur, quoniam ſuperfluitates euacuat ſub-
„ tiles. Nec Auicenna iuniorum Medicorum princeps noſtræ ſen-
tentiæ repugnat: is enim in cura tertianæ, poſt coctionem tamen,
adhibet balneum. Proinde ex iis dilucidum admodum eſt, aberra
re Medicos nonnullos, qui Febribus occupatos a balneo penitus
arcent, nulla alia ratione moti, quantum ex Valeſco deprehende-
re potui, qui una cum Sophiſtis inſigniter delirat, niſi quod arbi-
trentur ſufficere hodiernis temporibus ſudorẽ in fine Paroxyſmi
factum. Ne uero quis me per calumniã reprehendiſſe Valeſcum
ſuſpicetur, ecce eius uerba quæ ſcribit lib.vij. cap.vij. ſubiiciam:
„ Antiqui, ait, poſt digeſtionis ſigna balneabãt in aqua dulci tepida,
„ & ualet eis, ut uult Galenus. Iam autem ſciunt uulgares, quod ue-
„ ra breuis eſt terminationis, ideo nunc tales non ponuntur in bal-
„ neo, ſed ſufficit eis quod ſudent in fine Paroxyſmorum. Quibus
Valeſci uerbis quid ſtultius eſſe poſſet, non uideo. Etenim ſi balne
um febrientibus, ut fatetur, confert, quid eſt cur id non adhibeat?

neq; enim

neq; enim Medicus cenſeri debet, qui commoda auxilia ægro denegat. Ridiculum præterea eſt, non balneandos tertiana exquiſita laborantes, ideo quia breuiſſima eſſe ſoleat, quaſi Hippocratis ſeculo breuis nõ fuerit tertiana, qui tamen iiij. Apho. lix. ita ſcribit, τειταῖος ἀκριβὴς κρίνεται ἐν ἑπτὰ περιόδοισιν τὸ μακρότατον. Hoc eſt, Tertiana exquiſita ſeptenis circuitibus, quod longiſſimũ eſt, iudicatur. Verum nec hoc nomine a balneo prohibuit correptos tertiana, ſicut in ſuperioribus uiſum eſt. Multo autem ridiculoſius eſt, quod ait hodie non balneandos eſſe, quia ſudent in Paroxyſmi declinatione. An Hippocratis Galeniq; temporibus nõ ſudaſſe febrientes putat Valeſcus, aut naturæ ordinem inuerſum ſuſpicatur? Verum hac ratione tanti uiri Febricitantibus balneo non interdixerunt, ob id nec Valeſcus, nec alius quiſquam iſtis uiris multo inferior iure interdicere poteſt.

ERROR LI.

ERrant noſtro tempore Medici non pauci, iuxta ſanos atq; ægros immodicis deiectoriis medicamentis excarnificantes, adeo ut quidam ne infantes etiam adhuc in cunis uagientes, ab iſtis immunes eſſe permittant, tanta eſt illorum inſcitia, ſeu ut rectius dicam, ſæuitia.

Scio quos hoc loco notem, nec enim omnes a me perſtringuntur, ſed ii tantum, qui in quouis affectu purgantibus medicinis uti commode poſſe putant, & qui hoc pacto omne morborũ genus deuitandum eſſe exiſtimant, nec aliud in ore habent magis tritum q̃ hoc unum, Purgatione opus habes, hoc em̃ remedio quicquid in corpore nocuum eſt abiges. Quantum enim a ueritatis ſemita aberrent, facile intelligent, qui Galeni uerba quæ lib. iij. Aphor. Commen. xv. in hunc ſcribit modum, diligenter expenderint. In ſiccitatibus ſuperfluæ humiditates diſſoluunt̃, per hymbres aũt intra corpus collectæ putreſiunt, niſi quis ſingulis diebus collectas exercitiis expurget. Quæ em̃ fit per balneas euacuatio, parua eſt, & ſolã fere cutem euacuat. Quæ autem ſunt per carnem & partes ſolidiores diſperſæ ſuperfluitates, haud ſufficienter ex balneis euacuant, neq; tamen ea quæ fit per purgantia pharmaca, ſuperflua

,, tum euacuatio idonea eſt. Nam ualde indigentibus, & ex longis
,, interuallis utilis eſt. Earum uero quæ quotidie generantur in cor-
,, pore ſuperfluitatum euacuatio minor eſt, q̃ ut exigat purgantis
,, pharmaci operationem. Si uero quiſpiam uoluerit bis menſe, aut
,, ſemel ſaltem ea uti, ueritus ne ſuperfluitatũ multitudo aggregetur,
,, præter id quod nocebit, corpora etiam in malam trahet conſuetu
,, dinem. Perpendant, inquam, per Apollinem oro, aduerſarii au-
rea hæc Galeni uerba, quando penitus illorum ſententiam dam-
nent. Non enim quibuſuis purgantia medicamenta eſſe exhiben-
da docent, ſed indigentibus tantum, neq; quocunq; tempore, ſed
ex longis interuallis: nam quotidiana in corpore humano ſuper
fluitatũ generatio multo minor eſt, q̃ ut quotidie aut quouis tem-
pore purgans exigat pharmacum. Nec etiam omni menſe: nam
hoc pacto non ſolum nocebũt, ſed corpora in prauam quoq; con
ſuetudinem trahent. Quid ad iſta reſpondebunt, qui non tantum
ſemel aut bis menſe, ſed quauis etiam hebdomada bis aut ter, uel
catapotia, uel eligma aliquod deuorandũ propinant? & iis etiam
qui integra ſanitate fruuntur. Proinde magis id conentur Medici,
ut malorum humorum ſuperfluitatumq; generationem prohibe
ant, q̃ ut ſemper euacuationibus immodicis ſanos iuxta ægroſq;
excrucient. Id quod docuit Galenus etiam lib. ij. de Potentiis natu
ralibus, cap. viij. contra Eraſiſtratum diſputans in eum modum:
,, Sicuti igitur neq; cum iis qui de humorum generatiõe, de quibus
,, cum non habeat aliquid aliud, uel parum ueriſimile dicere putat,
,, a ſe opus repellere fingens, quod de illis conſyderatio nullam ha-
,, beat utilitatem. Itaq; per Deos, quomodo quidem cibi in uentri-
,, culo concoquantur, ſcire conducit, quomodo autem in uenis bi-
,, lis generetur, ſuperfluum eſt quærere, & de ſola ipſius euacuatiõe
,, cura habenda eſt, negligenda autem generatio, tanquam nõ mul-
,, to melius exiſtat, ne plus de ipſa generetur, ſtatim ab initio prohi-
,, bere, q̃ in eius euacuatione ſolicitari. Conueniet itaq; hoc unum
anxie curare noſtros Medicos, ſi nõ Eraſiſtratii magis q̃ Galeniani
eſſe cupiunt, ut humorum generationem, conuenientem præſcri
bendo uictum, magis prohibeant, quã ut tot pharmacis enecent.
Accedit omnibus, quod cum magna morborum quoq; pars ex
indigentia oriatur, non tam procliues quouis momento ad purga
ij. toria adhibenda medicamẽta eſſe decet, quando eoſdem repletio-
Aph. ne ac nutrimento magis curare cõueniat, iuxta Hippocraticũ hoc
xxij. ὑπὸ πλησμονῆς ὁκόσα ἂν νοσήματα γίνηται, κένωσις ἰῆται καὶ ὁκόσα
ὑπὸ

ἀπὸ κενώσιος, πλησμονή. καὶ τῶν ἄλλων ἡ ὑπεναντίωσις. Quod eſt
Quicunq; morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio. Et quicunq;
ex euacuatione repletio, & aliorum cõtrarietas. In ſumma, quod
exuperat, ablatio: quod deficiens eſt, adiectio ſanat. Hinc libro de
flatibus recte a ſene dictum eſt, ἰητρικὴ γὰρ ἐστι πρόσθεσις καὶ ἀφαίρε-
σις, ἀφαίρεσις μὲν τῶν ὑπερβαλλόντων, πρόσθεσις δὲ τῶν ἐλλει-
πόντων. Hoc eſt, Medicina appoſitio et detractio eſt, deficientium
quidem appoſitio, redundantiũ uero detractio. Lubens hic præ-
tereo alia nocumenta, quæ frequens medicamentorum acceptio
in uentriculo, hepate, ac aliis membris procreat, quæ paſſim apud
authores inculcantur. Cæterũ non deſunt inter Medicos, qui non
ſolum ea ratione peccant, ſed qui in eam etiam ſæuitiam prorum
punt, ut infantibus adhuc pueris medicamenta deiectoria propi-
nent. Scythæ certe uerius q̃ Medici, contra omniũ cum ueterum,
tum recentiorum præſcriptũ ætatem non animaduertentes. Cum Pri.
præcipue magnus ille Hippocrates moneat in purgationibus Aph.
ἐπιβλέπειν δεῖν τὴν χώρην καὶ ὥρην, καὶ ἡλικίην, καὶ νούσους, ἐν ᾗσι δεῖ, xvi.
ἢ μή. Id eſt, Inſpicere oportere & regionem, & tempus, & ætatem
& morbos, in quibus conueniant aut non. Quod autem purga-
toriis medicamentis, quæ attrahendi uim habent, non ſint tentan
di pueri, taceo infantes. Inter alia etiam docet Galenus libro nono
Therap. Metho. cap. xvij. dicens: Puerorũ ſubſtantia omnium
facilime digeritur ac diſſipatur, propterea quod eſt omniũ humi-
diſſima, nulla uero frigidior, quo minus uacuantis præſidii eget,
cum habeat ex ſe ipſa, unde naturaliter uacuetur. Proinde multo
prudentius Hippocrates ſexto Epidemiorum docuit, ut ſi purga-
tione egeant pueri, tũc nutrix aliquid, quod aluum ſubducat, aut
animal e cuius lacte nutritur infans, comedat, hoc em̃ pacto recte Pri.
purgari puerũ. Verba eius hæc ſunt, γυνή, αἴξ, ἐλατήριον ἢ σι- Aph.
κύον ἄγριον βεβρωκυῖαι, καὶ παιδίοισι κάθαρσις. Id eſt, Mulier, capra, ij.
cucumerem agreſtem comedẽtes, pueris purgatio. Id quod etiam
confirmat Galenus lib. iij. de alimentis, cap. xiij. & lib. v. de Tuen
da ualetudine, haud aliter q̃ Hippocrates, purgandos eſſe pueros
docens. Quinetiam Paulus Aegineta libro primo, cap. vi. multo
rectius q̃ iſti carnifices ſolent, adſtrictum aluum puerorum cum
melle, quod cibo adiicitur, aut Reſina Terebinthina deiiciendam
præcipit. At quid multis? Nulla profecto lex eſt, ut Plinius ait,

lib. xxix. capite primo, quæ puniat inſcitiam capitalem Medicoꝝ, nullum exemplum uindictæ. Diſcunt periculis noſtris, & experimenta per mortes agunt, Medicoq; tantum hominem occidiſſe, ſumma impunitas eſt, quando Herculè in hac artium ſola eueniat, ut cuicunq; medicum ſe profitenti ſtatim credatur. Verum iuſto Dei iudicio ita fit, quando nulli penitus fides habeatur, apud magnates etiã atq; principes, q̃ huic uni qui cæteris garriendo, iactando, pollicendo, mentiendo, adulandoq; polleat, quiq; famam nouitate aliqua aucupare, atq; hoc pacto animas negotiari ſtudeat. Docti interim ludibrio habentur, nec eſt qui eoſdem admiretur.

TOMVS TERTIVS, CONTINENS ERRORES, qui ad Anatomiam ſpectant.

ERROR LII.

HAllucinantur Neoterici, Mundinum ſequentes, meatum bilem ad inteſtina ferentem in omnibus eſſe geminum aſſerentes, quorum maior ad duodenum feratur, minor autem ad uentriculi fundum, ut ex calore bilis ad eum prouenientis, uentriculus ad concoquendum cibum fortiter efficiatur, cum tamen is in omnibus ferme unicus ſit.

Mundini uerba de bilis anatomia, ne quis noſtro Marte confi-
›› cta ſuſpicetur, hæc ſunt: Alter magnus ramus fertur ad inteſtinum
›› duodenum uocatum, & is diſpeſcitur, quia ab ipſo paruus admo
›› dum ramus oritur, qui uadit ad fundum ſtomachi ad confortan-
›› dam digeſtiuam, & iſte fuit paruus, ut expulſiuam ſtomachi ſuper
›› flue non irritaret uel ſtimularet, & iſtud eſt uerum, ut in pluribus.
›› Aliquibus uero iſte ramus maior eſt eo, qui uadit ad inteſtina præ
›› dicta. Quæ quantum in uniuerſum a ueritate ſint aliena, primum demonſtrant ea quæ ſcribit Galenus lib. v. de Vtilitate Partium, cap. iiij. ubi docet, cur natura non æque meatum fecerit bilem importantem ad uentriculum, ſicut ad duodenum; nam hoc nõ eſſe

naturæ

naturæ negligentiæ adſcribendum ait, ſed potius benignitati, quæ paruo cõmodo quod ex tali meatu uentriculus erat cõſecuturus, aliud multo maius incommodum uoluit euitare, continuam ſcilicet ciborum euomitionẽ, quos flauæ bilis acritudine uentriculus irritatus non poſſet, eo quo concoqui debent tempore, retinere. Item ea quoq; quæ ſcribit libro ſexto de Iuuamentis Membrorũ, capite tertio, dum inquit: Et non fuit curſus bilis flauæ ad uentriculum. Et libro ſecundo de Temperamentis, cap. vi. ubi meatum illum, per quem iecur bilem ad inteſtina euomit, non ſemper eſſe geminum, ut uidetur ſentire Mundinus, ſed aliquando ſimplicem eſſe ait. Verba eius hæc ſunt: Sed incidit hoc loco ſpeculatio quædam anatomica, quam aliqui Medicorum ignorantes ex Symptomatum diſſonantia, magnopere anguntur, dum parum intelligũt meatum illum, per quem iecur bilem in uentriculum euomit, aliis geminum eſſe, aliis unicum, id quod in quadrupedum diſſectionibus uidere licet. Ac plurimũ quidem unicus is eſt, in id inteſtinum quod Pylori et Ieiuni medium eſt, inſertus. Vel ſi geminus meatus ſit, in Duodenũ maior inſeritur, minor in fundum uentriculi paulo ſupra pyloron inuenitur, ſed tamẽ in pauciſſimis ſuperior pars maior, inferior minor. Cæterum quibus eſt maior, iis in uentrem quotidie non exiguum bilis effunditur, quam & euomant ante cibos oportet, & niſi id faciant, læduntur. Quibus autem unicus eſt omnino meatus, his tota bilis confluit in Ieiunum. Iſtis Galeni uerbis non ſolum Mundini ſententia confutatur, ſed & Carpi Mundinum defendentis. Is enim Commento duodecimo ſuper Mundinum, eundem ab errore uindicare ſtudens, ait ſe uidiſſe ad ſenſum, ita enim loquitur, meatum iſtum euntem ad uentriculũ, qui tamen erat minor alio tendente ad Duodenum, & talia tamen nihilominus ſana fuiſſe corpora, nec euomuiſſe quotidie. Nam eo quod aſtruit meatum illum, qui pertingebat ad uentriculũ, altero qui ad duodenũ tendebat, fuiſſe minorem, ſeipſum cõfutat, quando Galenus nõ omnes, quibus is bilis meatus ad uentriculum uadit, euomere dicat, ſed hos præſertim, quibus maior eſt, inquit em̃ Quibus eſt maior, iis in uentrem quotidie nõ exiguum bilis effunditur, quam & euomant ante cibos oportet. Quod & eleganti admodum hiſtoria idem Galenus cap. lxxiiij. Artis Medicinalis confirmat, in eam ſententiam ſcribens: Alterum uidi, cuius totus habitus pituitam præ ſe ferebat, quotidie tamen bilem rufam euomebat. Cenſui igitur inſpicienda alui excrementa, in quibus minimũ

,, bilis apparebat. Quare coniectura quadam cōprehendi eum mea
,, tum, qui bilioſum egurgitat humorem, non minimā eiuſdem par
,, tem ad imum uentriculi locum effundere. Interim quod dicit, non
minimam eiuſdem partem, ſubindicat maiorem bilis partem ad
uentriculum promanaſſe. Hanc Galeni opinionem, probat recen
tiorum Medicorū numen Auicenna lib. iiij. Fen xv. tracta. primo,
›› capite primo de Fellis Anatomia, inquiens: Et pluribus nomini-
›› bus eſt meatus unus continuus cum duodeno. Et paulo poſt: Et
›› non fuit creata in pluribus fellibus uia ad ſtomachum, ut lauaren
›› tur humiditates cum Cholera, ſicut lauantur humiditates inteſti-
›› norum, niſi quia ſtomachus læditur per eas, & patitur nauſeam, et
›› corrumpitur digeſtio in ipſo, per illud quod miſcetur cibo de hu-
›› more illo. Idem quoq; Fen prima Canonis primi, doctr. iiij. cap. i.
›› duas tantum bilis exponit commoditates: Vnam quæ eſt, ut ipſe
›› ait, inteſtina a ſtercore, & uiſcoſa pituita abluere. Aliam inteſtina
›› & ani muſculos pungere ac concitare, ut quid ſit eis neceſſarium
›› ſentiant. & egeſtiones emittant. Tertiam autem, quam Mundinus
& ſui ſequaces fingunt bilis ad fundum uentriculi euntis commo-
ditatem, ut ſcilicet concoctionem adiuuet, omnino Auicenna, ue
tereſq; omnes reticent. Accedit iis etiam, quod Galenus lib. iij. de
Potentiis Naturalibus, cap. xiij. ſcribit, per idem collum ueſicæ ad
iacentis hepati attrahi bilem & expelli, haud aliter q̃ uentriculi me
atus ſuperior, qui non ſolum cibos & potus ad ipſum perducit,
ſed etiam in uomitibus contrarium miniſteriū manifeſte exhibet,
quemadmodū uuluæ collum idem quoq; eſt, per quod ſemen at-
trahit, & fœtum expellit. Proinde, nihil momenti habet Mundini
figmentum, qui ad quandam diſtantiam ueſicæ bilem deferentis
collum idem unumq; eſſe aſſerit, at tandem bifurcari, hoc enī uer-
bo utitur, quando eadem ratione & collū uuluæ eſſe bifurcatum
cōueniret. Friuola inſuper ratio eſt, quæ eundem, ut id aſſereret,
mouit, nempe ut bilis ad fundum uentriculi tranſmiſſa concoctri-
cem facultatem robuſtiorem, firmioremq; redderet. Non enim ui
deo cur paruus igniculus ſit neceſſarius illi membro calefaciendo,
cui tot fornaces omentū, lien, hepar, & ipſum præterea cor, prin
cipium et fons caloris naturalis, ſuū calorem impartiūtur. Adeoq;
magis hominum naturæ conuenit, ut is meatus unicus ſit, q̃ gemi
nus. Si uero geminus adſit, tunc naturæ multū aberrantis eſt pec-
catum, haud aliter q̃ cum natura producit ſex digitos, quod tamē
rariſſime contingit, quando in pluribus ſortiatur finem, quem in-
tendit.

tendit. Et ſi aberrare in gemino meatu producendo naturam uſu ueniat, tunc conuenientius eſt maiorem ramum ad duodenũ per uenire, & minorem ad uentriculi fundum tranſmitti, ita enim minus ei officit. Si autem maior ad uentriculi fundum pertingat, tũc a bilis flauæ acritudine irritatus, uentriculus cibum, quouſq; concoquatur, retinere nullo pacto poteſt, ſed eũdem mox fere aſſumptum euomit. Itaq; ut finem faciamus, non in omnibus geminus eſt bilis meatus, ut Mundinus ſentit, ſed plerunq; unicus. Quod ſi uero geminus fiat, maiorq; ad uentriculũ ueniat, certum eſt, continuam ciborum accidere euomitionem, quamuis minore etiam huc pertingente meatu, in quibuſdam hoc itidem contingat, nec hoc naturæ peccatum ullis remediis corrigi poteſt, adeo ut uerisſimæ deploratæ conditionis homines, quibus id mali accidat, appellari queant. Itaq; non eſt quod ea in re quicquam auxilii polliceatur Medicus.

ERROR LIII.

ERrant ex iunioribus nonnulli, ac ſenſui & experientiæ repugnant, qui ſtercora ſuum eſſe, ita enim loquuntur, ſeu formam ſubſtantialem in ſtomacho, accidentalem uero, hoc eſt, colorem & figuram, in inteſtinis ſuſcipere contendunt.

Iacobus Forliuienſis ſecunda particula Aphoriſmorum in prima concluſione ſua, quæſtionis in qua quærit, quo in loco fex uel egeſtio ſeu ſtercus ſuam recipiat formam, in eum modum ſcribit: „ Stercoris forma ſubſtantialis in corpore naturaliter diſpoſito, & „ debite recto acquiritur in ſtomacho. Secunda uero concluſione „ ita: Separatio & depuratio fecis a chylo & accidentalium diſpoſi „ tionum acquiſitio, quibus fex a chylo diſcernitur, acquiritur in inte „ ſtinis. Quibus uerbis manifeſtiſſime innuit, ſtercora ſuam formã ſubſtantialem ſeu eſſentiam prius in ſtomacho, ac deinde accidentalem in inteſtinis ſuſcipere. Si enim in inteſtinis ſolum per ſeparationem atq; depurationem, ut ipſe ait, a chylo fiunt ſtercora, certo certius eſt, eorundem eſſentiam in uentriculo prius eſſe procreatam, alias enim a chylo iam ſegregari non poſſent. Ita autem ſentire Iacobum, tertia eius concluſio clarius indicat, quam & probabiliter poſſe ſuſtineri, inquit: Eſt autem hæc aliquando fex, tam quo

„ ad ſubſtantialem, ꝗ quo ad accidentalem formam in inteſtinis fit. Quibus iterum uerbis indicat, rariſſimum eſſe, ut ſtercora utranq; formam in inteſtinis ſuſcipiant, quod ꝗ falſum ſit aſſerere, paulo poſt oſtendemus: nec em̄ raro, immo ſemper in ſanis hominibus, ſecundū utraſq; formas in inteſtinis ſtercora fiunt. Effinxit autem Forliuienſis has concluſiones ideo, quia arbitratus eſt ſeſe hoc pacto principem ſuum Auicennā ab errore uindicare poſſe, ac Galeno facere concordem, quaſi prima eſſet ex Auicennæ, ſecunda uero ex Galeni ſententia excogitata, nec una alteri pugnaret. Auicennæ autem fuiſſe ſententiam, ſtercora generari in ſtomacho, ex eiuſdem uerbis, quæ ſcribit Fen xvi. Canon. iiȷ. tracta. primo, ca
„ pite primo aperte colligitur: Penetranti enim, inquit, in Meri non
„ attribuitur ex uirtutibus naturalibus, niſi uirtus una. Penetrans
„ autem in inteſtino, primo patitur a duabus uirtutibus, quarū una
„ eſt expulſiua, quæ eſt in ſtomacho, & altera eſt attractiua, quæ eſt
„ in inteſtinis, & adiuuat eam fex quæ prouenit propter ſummam ci
„ bi, & fit facilis propter illud expulſio per uiam temperatæ amplitu
„ dinis. His poſtremis uerbis quid manifeſtius eſt, ꝗ Auicēnam ſentire, fecis ſeu ſtercoris generationem eſſe in ſtomacho? quando dicat ui attractiua inteſtinorū, fecem a ſtomacho expulſam, attrahi. Verum erronea hæc eſt in uniuerſum ſententia, ex Galeni nanq; ac probatiſſimorum Medicorum mente, ſtercora non fiunt in uentriculo, ſed in inteſtinis gracilibus per alterationem, quæ ad ſubſtantiam terminatur, generantur. Proinde etſi materia, ex qua fit ſtercus, in uentriculo gignatur, plurimamq; prius in ipſo alterationem habeat, nondum tamen eſt ſtercus, donec ad tenuia inteſtina proueniat: ſicuti & materia urinæ, aquoſa ſcilicet ſuperfluitas, & ipſa in uentriculo ex cibis & potibus generatur, quæ eſt etiam materia ſudoris, non tamen propterea dicimus, aut urinam, aut ſudorem ſuam formam ſubſtantialem in ſtomacho, ſed illam in uenis, ſeu, ut Theophilo placet, in renibus, hunc uero in membris ſuſcipere, ad quæ aquoſa illa ſuperfluitas una cū ſanguine delegatur. Hanc porro eſſe Galeni ſententiam, teſtantur ea quæ retulit lib. iiȷ.
„ de potentiis naturalibus, cap. vȷ. in hūc modum: Oſtenſum ſiqui
„ dem & prius eſt, quod nihil ſubito in contrariam uertitur qualita
„ tem. Quomodo igitur panis fit ſanguis? Quomodo autem Beta
„ & Faba, uel aliorum aliud quidquam, niſi prius alteram ſuſceperit
„ alterationem? Quomodo autem ſtercus in ſubtilibus inteſtinis ſu
„ bito fiet? Quid enim iſtis fortius exiſtit ad alterationem, ꝗ ea quæ

in uentri

in uentriculo ſunt? Nunquid tunicarũ multitudo, uel uicinorum ,,
uiſcerum iuxta poſitio, uel moræ tempus, uel natiua quædam in ,,
inteſtinis caliditas, atqui in nullo iſtorum inteſtina uentriculum ſu ,,
perant. Et quæ ſcribit libro eodem, cap. xiij. dicens: Neq; enim cibi ,,
quidem priſtinam permutant qualitatem ita celeriter, ut cum in te- ,,
nuia inciderint inteſtina, ſtercus fiãt. Ex quibus Galeni uerbis ma ,,
nifeſtiſſimum fit, ſtercora in inteſtinis tenuibus fieri, non quidem per ſeparationem & depurationem a chylo, ut Forliuienſis putat, ſed alterationem magis, quæ ad ſubſtantiam terminatur, id quod inſinuat iis uerbis, Neq; enim cibi priſtinam permutãt qualitatem ita celeriter, ut cum in tenuia inciderint inteſtina, ſtercus fiant. Si itaq; nõ celeriter in tenuibus inteſtinis cibi permutantur in ſtercus, ergo multo minus in uentriculo. Quod deniq; ſtercus non fiat in uentriculo, ita colligitur: Si ſtercus gigneretur in ſtomacho, tunc homo quotidie uomeret ſtercus, quotidie ſingultiret, nã tale quid accidit Ileoſis, non alio profecto nomine, niſi quia ſtercus aſcendit ad uentriculum. Id quod teſtatur Galenus libro ſeptimo, Aphoriſmorum, Cõmento decimo, ita ſcribens: In Ileis nihil exit per infe ,,
riora, et hoc eſt proprium inſeparabile paſſionis. Vomitus autem ,,
nõ ſemper adeſt, ſed quando exitiales ſunt: & ſi uehementius diſ- ,,
torqueantur, ſtercus eis aſcendit atq; ſingultiunt. Itaq; ſi ea ſympto ,,
mata ſtercus aſcendens ab inteſtinis ad uentriculũ efficere poteſt in Ileo, cur non eadem efficeret in ſtomacho genitum ac procreatum? Præterea ſi in ſtomacho generaretur ſtercus, neceſſariũ non foret, quod in Ileo ſtercus ad proximiores ſuperiacentium inteſtinorum partes expelleretur ad uentriculum, adeoq; totum tenue inteſtinum pertranſiret, quando prius ſuam in eo habuiſſet generationem, quod tamen fieri Galenus libro tertio de Potentiis Naturalibus, cap. xiij. docet. At ſatis ea de re dictum. Plura ſi legere deſyderant ſtudioſi, adeant Epiſtolam Leoniceni, uiri præcellenti eruditione præditi, quam ſcripſit ad Franciſcum Tottum Lucenſem. Nos compendio rem uniuerſam attigimus.

ERROR LIIII.

HAllucinatur Auicenna, ac poſt eum non pauci iuniores Medici, Pyloron ſeu Portonarium uulgo uocatum, a Duodeno nominato non diſtinguentes, ſed inter inteſtina connumerantes.

Auicennam Portonarium inter inteſtina connumerare, nec a duodeno uocato inteſtino diſtinguere, euidentiſſimum fit ex iis, quæ ſcribit Fen xvi. Canon. iij. Tarcta. primo, capite primo, in hunc modum: Et inteſtinum duodenum continuatum eſt fundo ſtomachi, & habet orifitium ſequens ſtomachum, & nominatur Portonarius. Et iterum paulo poſt: Duodenum dictum eſt, quoniam longitudo eius eſt huius quantitatis, duodecim digitorũ habentis ipſum, & eius quidẽ amplitudo, eſt amplitudo orifitii eius, quod nominatur Portonarius. Hunc deinde imitati ſunt iuniores ferme omnes, Portonarium inter inteſtina collocarunt, nec diuerſum eſſe a duodeno affirmarunt, non animaduertentes, alibi contrarium ſcripſiſſe Auicennam. Verum, ne quis me iſta effinxiſſe exiſtimet, ex multis unum aut alterum talia aſſerentem, in medium producam. Valeſcus enim lib. iiij. cap. xxij. de anatomia inteſtinorum differens, ita ſcribit: Sunt ergo tria inteſtina tenuia, & iſta ſunt ſuperiora. Primum uocatur Portonarium ſiue duodenum. Quid iſtis uerbis apertius? Item Iohannes Matthæus de Grado, capite undecimo in Commentariis ſuis ſuper nonum. Razes fere ad uerbum Auicennæ imitatus ſententiam, idem ſentit, dicens: Primum inteſtinum dicitur duodenũ, quia eſt longum, extenſum longitudine duodecim digitorum in tranſuerſo, & huius inteſtini orifitium primum terminatũ ad ſtomachum, ut ad fundum eius, dicitur Portonariũ. In quibus uerbis liquido apparet, Matthæum de Grado Portonarium facere partem duodeni, eius ſcilicet orifitium. Huius erroris nec expers fuit Cornelius Celſus lib. iiij. capite primo in hunc modum de Pyloro ſcribens: Inde ima uentriculi pars paululum in dexteriorem partem conuerſa, in ſummum inteſtinum coartatur. Hanc iuncturã πυλωρόν Græci uocant, quoniam portæ modo in inferiores partes ea, quæ excreturi ſumus, emittit, ab ea Ieiunum inteſtinum incipit. Quibus uerbis Celſus manifeſte admodum docet, Pylorum primum eſſe inteſtinũ, nec quicquam a duodeno differre. In eundem errorem lapſus eſt & Alexander Benedictus, multæ eruditionis uir, Celſum profecto imitatus libro ſecundo ſuæ anatomices cap. viij. inquiens: Huic, ieiunum intelligit, demum ea parua iunctura alligata eſt a media fere uentriculi parte, parum in dexteriorem partem conuerſa, πυλωρόν Græci uocant, quoniam portæ modo in inferiores partes, quæ excreturi ſumus emittit, cæteriſq; inteſtinis arctius. Ad hanc portam fellis meatus pertinet unus, eadem de cauſſa, hæc

duodecim

digitorum menſuram continet. In iis uerbis bis lapſus eſt Alexander. Primo, quod Pyloron, ad imitationem Celſi, inter inteſtina connumerat. Secundo, quod Celſum iterum ſecutus ad uerbum uſq;, adſerit idcirco Pylorum hoc nomen apud Græcos ſortitum, quoniam portæ modo per partes inferiores ea, quæ excreturi ſumus, emittit. Neq; enim ad hũc finem inteſtina, præſertim tenuia, a natura ſunt facta, ut per ea excremẽta alui inferioris emittantur, ſed potius ut ſint inſtrumẽta ciborum deductionis, qui per uenas Meſaraicas nominatas ad hepar debent tranſmitti. Rectius ergo Galenus ſcribit Pylorum ita nominatum, quod ueluti ianitor iuſtus nihil permittat exire, quod nõ fuerit prius in chylum conuerſum atq; cõcoctum. Talem uero chyli bene concocti ſubſtantiam certum eſt, per Pylorum ad inferiora inteſtina diduci, nõ ut excernatur, ſed potius ut intra corpus retineatur, ui hepatis in ſanguinem tranſmutanda, ex quo omnia membra tandem nutriantur. Hinc Galenus libro quarto de Vtilitate partium, cap. xvij. aperte pronunciat, inteſtina non eſſe ſuperfluitatum, excretioniſq;, ſed alimentorum potius inſtrumenta. Quod autem Pylorus ſeu Portonarius non ſit primum inteſtinum, ſed id foramen cui continuatur primum inteſtinum, in inferiore parte ſtomachi ſitum, adeoq; potius ex ſubſtantia ſtomachi q̃ inteſtinorum, teſtatur paſſim Galenus. Is enim lib. iiij. de utilitate partium cap. iij. primum ex inteſtinis ait ἔκφυσιν, id eſt, Exortũ nominari, quia ex Pyloro oriatur, aut Dodecatylon, quia ad longitudinem duodecim digitorum extendatur. Idem Galenus multo clarius in Arte Medicinali, cap. lxxiij. aſtruit Pyloron uentriculi, & non duodeni eſſe partem, de homine pituitoſo quotidie uomente bilem, in eam ſententiam ſcribens: Quare coniectura quadam deprehendi eum meatum, qui bilioſum egurgitat humorem, non minimam eiuſdem partem ad imum uentriculi locum, quem Græci Pyloron uocant, effundere. Item lib. ij. de Temperamentis, cap. vi. manifeſtiſſime Pylorum a duodeno etiam diſtinguit, in hunc modum ſcribens: Aliqui Medicorum parum intelligunt meatum illum, per quem iecur bilem in uentriculum euomit, aliis geminum eſſe, aliis unicum. Ac plurimum quidem unicus is eſt, in id inteſtinum quod Pylori & ieiuni medium eſt inſertus, Græci medium id γαστρὸς ἔκφυσιν, quaſi quidam e uentre enatum uocant. Ex quibus uerbis dilucidum fit Pylorum a duodeno diuerſum eſſe, ac ex uentriculi ſubſtantia enatũ. His omnibus accedit Auicenna Fen xvi. Canon. iij. Tract. primo

capite primo, qui ad Galeni exemplum ſex numero ait eſſe inteſti-
na, primum Duodenum, ſecundũ Ieiunum nominans, Portona
rium autem inter inteſtina non numerat. Idem etiam Fen xiii. Ca
non. iij. Tracta. primo. capite primo, Portonarium a duodeno ſe
” parat ac diſtinguit iis uerbis: Et inferiore parte ſtomachi eſt fora-
” men, cui continuatur inteſtinum duodecim digitorum, et hoc qui
” dem foramen nominatur Portonarius. Quæ uerba in uniuerſum
pugnant cum iis, quæ ſcribit idem Fen xvi. quæ & paulo ante a
nobis adducta ſunt. Præterea Pylorũ eſſe ex ſubſtantia uentriculi,
et non Duodeni, omnium manifeſtiſſime declarat Galenus lib. vi.
” de Aggreſſibus anatomicis, inquiens: Statim autem uidebis, ſi di
” ligentius animaduerteris, in locis quæ portæ hepatis nominantur
” meatum, qui ex bilis conceptaculo uenit ad Exortum inteſtinorũ,
” non multum poſt illum, qui Pylorus nominatur. Hunc aũt ipſum
” Pylorum in quibuſdam animalibus uidebis craſſiorẽ habentem,
” ſecundum propriam circunſcriptionem, ſubſtantiam uentriculi,
” ubi primum ex ea naſcitur inteſtinum. Nonnulli uero nondum
” id inteſtini appellatione dignum putant, priuſquam implicari inci
” piat, ac propterea quidam uocant ipſum Exortũ ſimpliciter, non-
” nulli cum hac adiectione δωδεκάτυλον. Ex quibus uerbis duo col
ligimus. Primum, bilem tranſmitti per proprium meatum prode-
untem a ueſica, quæ cõceptaculum bilis nominatur, ad Exortum
ſiue Duodenum, et non ad Pylorum. Proinde errant iuniores nõ
pauci, affirmantes bilem nõ ad Duodenum, ſed ad Ieiunum trans
mitti. Anſam errandi eiſdem præbuit Auicenna Fen xvi. Canon.
iij. Tractat. primo, capite primo, Choleram citrinam ad Ieiunum
inteſtinum uenire ſcribens. At meminiſſe oportuit non eſſe alium
meatum bilis inteſtino Ieiuno neceſſarium, ad quod ſatis ſuperq;
primo inteſtino Duodeno nominato, de eadem deſcendit. Quare
magis proprie Galenus lib. ij. de Temperamentis, cap. vi. loqui-
” tur, inquiens: Quibus autem unicus eſt omnino meatus, his tota
” bilis confluit in Ieiunum. Magis, inquam, proprie q̃ Auicenna lo
quitur Galenus, dum confluere, & non uenire bilem ad Ieiunum
inteſtinum aſſerit, ut qui ſciret eſſe potius eius humores ex alio in-
teſtino ſuperiori defluxum, q̃ aduentum. Quod uero non ad Ieiu
num, ſed ad Duodenũ ueniat is bilis meatus, ſatis etiam liquet ex
lib. vi. cap. ij. & iij. de Membrorum Iuuamentis. Inſuper Auicen
na quoq; Fen xv. Canon. iij. Tracta. primo, capite primo, hunc
bilis meatum cum Duodeno continuari ſcribit. Secundum, quod
ex ſupra

ex ſupradictis Galeni uerbis colligitur, eſt, quod Duodenum inteſtinum ſit diuerſum a Pyloro, propriam habente ſubſtantiam, eo craſſiorem. Id quod etiam Cœlius, exacti iuditii uir, lib. ij. ſuarum lectionum antiquarum, cap. xliiij. animaduertit, in hunc modum ſcribens: Illud ſciendũ a Galeno & Auicenna, Pylorum ſeu Portonarium, ut recentiores uocant, inter gracilia non numerari inteſtina, ſed ex illis primum uocat Galenus ἔκφυσιν, id eſt, Exortum, quia ex Pyloro primum exoriatur: aut Dodecatylon, ſeu ut nunc dicimus, duodenum a digitorum menſu duodecim. Omnino Pylorum in imo ſtomacho foramen accipiunt, cui primum adnectitur inteſtinum.

ERROR LV.

ERrant Razes atq; Mundinus in ſua Anatomice Ieiunum inteſtinum eandem habere, quam rectum inteſtinum, rectitudinem aſſerentes.

Razes libro primo, capite decimoſexto in eam ſententiam ſcribit: Gracilium autem primum eſt inteſtinum, quod ori inferiori ſtomachi continuari inuenitur, quod Duodenũ nominatur. Hoc autem ſequitur aliud inteſtinũ, quod uocatur Ieiunum, quæ duo inteſtina erecta ſtant, & in longitudinem extenduntur corporis. Mundinus uero ita: Ieiunum taliter uocatur, quia ut plurimum reperitur uacuum in bene diſpoſitis. Et cauſſa ſuæ euacuationis eſt duplex, ſcilicet rectitudo eius, nam rectum eſt ſicut inteſtinum ultimum. In quibus utiq; uerbis Mundinus falſiſſime protulit de Ieiuno, quod ueriſſime de Duodeno dicere potuit. Nam id, Galeno libro ſexto de Aggreſſibus Anatomicis teſte, implicatione omni caret, ac ob id a nonnullis inter inteſtina non numeratum eſt. Quod autem Ieiunum inteſtinum non habeat eam rectitudinem quam rectum inteſtinũ habere deprehenditur, teſtatur paſſim Galenus in ſuis Anatomicis, ſcribens Ieiunum inteſtinum in multas inflecti inuolutiones, q̃ plurimum uaſorum habentes. Præcipue libro quinto de Vtilitate Partium, capite iij. dicens: Primum omnium inteſtinum, quod uentriculo eſt coniunctum, non ad inuolutiones confeſtim deflexit creator, ſed eo uſq; produxit uerſus dorſum, ut ſufficiens ſit ſpatium prædictis. Quod uero illi cõſequitur, circumuoluitur & flectitur, uocaturq; hæc pars inteſtinorum Ieiu

num, eo quod ſemper inuenitur uacuum. Et omnium manifeſtiſſime libro ſexto de Iuuamentis membrorum, cap. ij. ubi ait: Et prouidentia creatoris indigentia illarum uenarum & neruorum loco amplo non poſuit in primo inteſtino inuolutiones, ſed locauit ipſum recte extenſum ſuper dorſum. Et cum iſtud inteſtinum pertranſiret ad paruam remotionem inuoluebatur, & pars inuoluta ex inteſtino dicitur Ieiunū. Quæ ſiquidem uerba, etſi admodum barbara ſint, ex interprete barbaro deſumpta, uel ſola tamen ſufficiunt, ad hunc Mundini errorem confutandum, quando apertiſſime oſtendant, Duodeno conuenire, quæ Mundinus Ieiuno tribuit. Auicenna porro Fen xvi. Canon. iij. Tracta. primo, capite primo, eum etiam errorem confodit, inquiens: Et pars inteſtini, quod ſequitur Duodenum, nominatur Ieiunum, & in hac parte eſt initium inuolutionis & circuitionis. Cornelius quoq; Celſus libro quarto, capite primo ſatis innuit, Ieiunum inteſtinum non carere inuolutionibus, ita ſcribens: Ab ea Ieiunum incipit non ita implicitum. His enim uerbis uult non omnino non eſſe implicitum Ieiunum, ſed minus q̃ ſit tenue. Hæc autem Alexander Benedictus libro ſecundo ſuæ Anatomices, cap. viij. non ſatis intelligens, Ieiunum minus q̃ reliqua, de tenuibus loquitur, eſſe implicitum ſcribit, quod falſiſſimum eſt. Nam Duodenum multo minus q̃ Ieiunum implicitum eſt. Proinde Celſus hoc loci ſolum inter Ieiunum & tenue facit comparationem, ac Ieiunum minus q̃ tenue implicitum eſſe affirmat. Id quod ſequentia etiam uerba euincunt, quæ talia ſunt: Inde tenuius inteſtinum in ſinus uehementer implicitum. Itaq; ſole clarius eſt, Mundinū ac Razam eſſe hallucinatos, nec eoſdem Carpus ab errore uindicare poteſt, dicens hoc inteſtinum Ieiunum dictum, quantum ad partem ſuperiorem eſſe Rectum, & ita intellexiſſe utroſq;. Nam id ex diametro cum Mundini uerbis pugnat, qui non ſimpliciter dicit eſſe Rectum, ſed addit, ſicut inteſtinum ultimum, quod Rectum eſſe tam ſuperiore, q̃ inferiore parte, nemo eſt qui neſcit.

ERROR LVI.

HAllucinatur Mundinus, ad Ileon ſiue tenue inteſtinum plures pertingere uenas Meſaraicas q̃ ad aliquod aliud inteſtinum, affirmans.

Mundinus

Mundinus de Anatomia Ilei in hunc modũ ſcribit: Ad ipſum ,, perueniunt plures uenæ Meſſaraicæ, q̃ ad aliquod aliud inteſti- ,, num. Quibus equidem uerbis non ſolum rationi & experientiæ, ,, uerumetiam Galeno & Auicennæ cõtraria aſſerit. Ad inteſtinum enim Ieiunum uocatũ multo plures ueniunt Meſſaraicæ, per quas hepar Chylum attrahit, q̃ ad Ileum, quia enim ob frequentes uenas ſugentes ſemper uacuum inuenitur, ideo Ieiunum appellari cœpit. Id quod teſtatur Galenus libro ſexto de Iuuamentis Membrorum, capite ſecundo, dicens: Inteſtinum Ieiunum eſt propin- ,, quum hepati, ac pertingunt ad ipſum multarum uenarum ora. ,, Et bilis flaua defluit per ſuos meatus in primũ, quod ſuper ipſum ,, eſt. Et quia iſtud propinquiſſimum hepati inter omnia membra, ,, quando hepar caruerit cibo, & fuerit euacuatũ ab eo, capiet eum ,, ex propinquiore ſibi loco, ſcilicet ab inteſtino Ieiuno, & a uenis ,, cum attractione. Idem etiam lib. v. de Vtilitate Partium, cap. iiij. ,, docet, inquiens: Primum omnium inteſtinorũ Ieiunum ſuſcipit ,, in chylum uerſum & concoctum in uentriculo cibum. Situs uero ,, eius eſt prope hepar, uaſorum autem multorum in eo ſunt ora. ,, Galenus præterea libro ſexto de Aggreſſibus Anatomicis, plures eſſe uenas in Ieiuno inteſtino, q̃ tenui affirmat, ita ſcribens: Tenue ,, Inteſtinum eandem habet cum Ieiuno ſubſtantiam, tantum differt ,, duobus, & quia nunquam uacuum inuenitur, & quia non habet ,, tantam uaſorum multitudinem. Hanc quoq; maiorem uenarum ,, in Ieiuno multitudinem cõfirmat Auicenna Fen xvi. Canon. iij. Tractatu primo, capite primo, ſic dicens: Et nominatur hoc in- ,, teſtinum Ieiunum, quoniam ipſum inuenitur ſecundum pluri- ,, mum uacuum & inanitum, & cauſſa in hoc eſt connexio duarum ,, rerum, quarũ una eſt, quoniã illud quod attrahit ad ipſum de mul ,, titudine chyli uelociter ſeparatur ab eo, portio nanq; eius attrahi- ,, tur ad hepar, quoniam plures uenarum Meſſaraicarum continu ,, atæ ſunt huic inteſtino, quoniam hoc inteſtinum eſt propin ,, quius hepati, quàm alia inteſtina. Et non eſt in aliquo ,, inteſtinorum de ramis Meſſaraicæ, quantum eſt ,, in eo. Ex quibus omnibus ſole clarius fit, in Ieiuno plures eſſe uenas, quàm in Ileo ſeu tenui inteſtino. Proinde, Mundinum eſſe hallucinatum, nemo non uidet.

ERROR LVII.

ERrat Alexander Benedictus, qui contra naturæ poſitum, uiam uocis ac ſpiritus, quæ Trachea arteria dicitur, interiorem fecit, Pharyngaq; appellauit, cibi aũt & potus, quæ gula uocat̃, exteriorem.

Et ſi ad tanti uiri errata conſultius eſſet forte cõniuere, attamen quia ueritas ipſa nullius nec odio, nec amore deſerenda eſt, ideo nec huic eſſe parcendum putaui, maxime cum ſint pauci admodum, qui iſta in ſuis libris animaduertunt. Is itaq; libro tertio ſuæ
» Anatomices, cap. viij. de duabus his uiis ita ſcribit: Binæ ab oris
» faucibus cannaliculæ coeunt, quarũ altera breuior, interiorq; eſt,
» τραχέαν ἀρτηρίαν ἢ φάρυγγα Græci, Latini guttur, uel ſpiritalem
» fiſtulam appellant. Altera uero longior, exteriorq; eſt, οἰσοφάγον
» Græci, & ſtomachum, Latini gulam & cibalem fiſtulam uocant.
Quibus utiq; uerbis contra naturæ poſitum, gulam in anteriore colli parte, Tracheam uero in poſteriore non ſine magno errore collocat. Nam gulam, qua cibus & potus deuoratur, eſſe uiam interiorem ſeu poſteriorẽ, Tracheam uero arteriam exteriorem, etiam in homine uiuo citra diſſectionem dignoſci poteſt, primo ſe gutture, unde uox halituſq; procedit, in parte anteriore colli repræſentante: id quod præter ſenſum & Galenum paſſim teſtatur quoq; Ariſtoteles libro primo de hiſtoria animalium, cap. xij. ſic
» docens: Collum quod inter pectus & faciem eſt, cuius pars prior
» Arteria, poſterior Gula. Et libro tertio de partibus animalium, ca
» pite tertio: Ante gulam arteria poſita eſt. Et paulo poſt: Arteria
» uero, quod exterior eſt, ut diximus poſita eſt. Et Cornelius Celſus
» libro quarto, capite primo, dicens: Deinde duo itinera incipiunt.
» Alterum aſperam arteriam nominant, alterum ſtomachum. Arte
» ria exterior ad pulmonem, ſtomachus interior ad uentriculum fer
tur. At quid multis? arbitror hunc errorem in librarium magis q̃ in authorem reiiciendum, qui pro exterior, interior, ac pro interior, exterior perperam ſcripſit, quando alias in uno eodemq; capite ſibi contrarius fuiſſet Alexander. Mox enim in fine eius capitis
» de aſpera arteria loquens ita ſcribit: Ante gulam poſita eſt, quia
» cor in priore parte collocatum eſt. In quibus uerbis Tracheam arteriam exteriorem facit, gulam uero interiorem ſeu poſteriorem.

Id quod

Id quod & facit capite xvij. eiuſdem libri, dicens: At nunc gulæ ,, rario reddenda eſt, quæ poſt Tracheam arteriam poſteriorem lo- ,, cum tenet. Accedit, quod & in exemplaribus iam recens excuſſis, ,, locus caſtigatus legitur, quæ certe ſingula authorem a calumnia uindicant. Quamuis rurſus ita ſenſiſſe Alexandrum ſuſpitionem facit locus Plinii, quem in ſua æditione tanquam caſtigatum defen dere conatur. Is eſt in libro undecimo, cap. xxvij. ubi in hunc mo dum legendũ eſſe contendit: Sub ea minor lingua, quæ nulli oua ,, generantium, opera eius gemina duabus interpoſitæ fiſtulis. Inte- ,, rior earum appellatur Arteria, ad pulmonem atq; cor pertinens, ,, hanc operit in epulando Epigloſſis, ſpiritu ac uoce illac meante, ,, ne ſi cibus ac potus in alienum deerrauerit tramitem, torqueat. ,, Altera exterior eſt, appellatur ſane Gula, qua cibus atq; potus de- ,, uoratur. At locum hunc Plinii eſſe deprauatum, præter iam dicta, ,, oſtendit exemplar hoc Plinianum, quod nuper ex officina Frobe niana, opera ac induſtria Eraſmi uiri & linguarum & omnigena- rum rerum peritia eminentiſſimi, prodiit caſtigatiſſimum, in quo is locus ſic pingitur: Sub ea minor lingua Epigloſſis appellata, ,, nulli oua generantium opera eius gemina, duabus interpoſita fi- ,, ſtulis. Exterior earum appellatur Arteria, ad pulmonem atq; cor ,, pertinens. Hanc operit in epulando, ne ſpiritu ac uoce illac mean- ,, te, ſi potus cibus ue in alienum deerrauerit tramitem, torqueat. ,, Altera interior eſt, appellatur ſane Gula, qua cibus atq; potus de- ,, uoratur. Sic legendo Plinii uerba alter etiam grauiſſimus error ,, tollitur. Nam ſi, ne, prohibitiua particula prȩponatur uerbis illis ſi potus, & non prioribus, legendo ne ſi ſpiritu, illud ſequetur abſur dum, aſperam arteriam eodem momento temporis opertam eſſe & apertam. Siquidem in epulando operitur, ſpiritu uero ac uo- ce meante aperitur. Nam ea operta a minore lingua neq; uox, neq; ſpiritus per eam poteſt meare. Cæterum quicquid ſit de Ale- xandro, non poteſt tamen ab errore in eo excuſari, quod aſperam arteriam φάρυγγα Græcis appellari dicit. Nam Pharynx proprio & uſitato ſignificato, interioris oris ſpatium, ad quod pertingit extremum gulæ ac gutturis, ſignificat. Teſtis Galenus lib. iiij. de Tuenda Sanitate, in eam ſententiã ſcribens: Fauces uero internum ,, oris locum, ubi ſimul conueniunt & gula & gutturis partes extre ,, mæ. Et in Commentatione Aphoriſmi xxxiiij. quartæ Aphoriſ- morum particulæ, ſpatium quod gulam & guttur præiacet, nomi

nat fauces. In quo ſignificato & ab Homero in I. Odyſs. uſurpatū
,, eſſe aſſerit, ubi de Cyclope ita ſcribit, φάρρυγγα δ' ἐξέσυτο οἶνος,
,, ψωμοί τ' ἀνδρόμεοι Id eſt, per fauces erūpebat uinum, fruſtaq; hu
,, mana. Quod ſi per φάρυγγα Homerus intellexiſſet Tracheam arte
riam, ut Alexander ſomniat, profecto uoluiſſet nō modo potum,
ſed etiam cibum euomi a Cyclope per Pharynga, id eſt, aſperam
arteriam, quod certe a tanto uate, qui non temere eruditionis om
nis Oceanus uocatur, alieniſſimum eſt, quando tale quicquam ne
per ſomnium quidem cogitauit. Quare Pharynx aliud a Trachea
arteria erit, nempe ſpatium illud, quod gulam & guttur præiacet.
Id quod præter ſuperiora teſtatur Galenus etiam libro tertio Præ-
,, ſagiorum, Aphoriſmum xviij. explicans, ita ſcribens: Quod fau
,, ces præiacentem gulæ & gutturi ſedem appellet, perſpicuum eſt
,, etiam ex his, quæ hoc loco ſcripſit Hippocrates. Porro ceruicem
,, intelligit collum, fauces uero aperiendo os ac linguam compri-
,, mendo deorſum euidentem amplitudinem, in qua gemina hoſti-
,, ola uiſuntur, tum gulæ, tum etiam gutturis. Ex iis itaq; clarum eſt,
Pharynga eſſe locum, ad quem tam ſummum Tracheæ, quàm
etiam œſophagi pertingit, atq; adeo errant cum Alexandro iuni-
ores non pauci, qui Pharynga guttur interpretantur, ſeducti equi
dem Arabicis barbariſq; traductionibus, qui paſſim pro uerbo
Pharynga guttur habent. Nam ſi proprie loqui curauerimus,
quemadmodum maxime in membrorum diſſectionibus conue-
nit, uocabulum guttur non Pharyngi, ſed Laryngi accommo-
dandum erit. Eſt enim λάρυγξ, teſte Galeno libro quarto Aphor.
Commento xxxiiij. Et Libro Therapeuticæ Methodi quinto,
,, cap. xij. Caput Tracheæ arteriæ, id eſt, pars extrema, quæ uerſus
os eſt, quæ ad Pharynga terminatur. Id quod etiam docet libro
,, ſexto de Tuenda ualetudine, inquiens: Aſperæ arteriæ ſumma
,, pars, quæ ori coniungitur, λάρυγξ a Græcis dicitur. Videntiam
iterum ſtudioſi, q̄ neceſſaria ſit Medico linguarum peritia.

ERROR LVIII.

HAllucinatur Alexander Benedictus Pliniū ſe-
cutus, Diaphragmati nullā ineſſe carnem aſſe-
rens, Meſenterionq;, ad Macrobii imitationem,
medium inteſtinum interpretans.

Alexander

Alexander ſuæ Anatomices libro tertio, capite tertio de Diaphra
gmate, quod Latini Septum tranſuerſum nominant, in hunc mo
dum ſcribit: Septum tranſuerſum ſub pulmone collocatum eſt,
Cinctum alii appellant. Veteres, quoniam cordi prætenduntur,
præcordia dixere, Diaphragma alii. Plato uero φρένας, ceu pru-
dentiæ participes, menteq; coniunctas. Vnde quidam mentis ſub
tilitatem accipi putauere, ideo ei nulla caro ineſt, ſed neruoſa quæ-
dam exilitas, in medio præſertim, quæ ualida eſt. In quibus ſane
uerbis Plinium, ut fere ſemper, ſecutus eſt, qui lib. xi. cap. xxxvij.
ita differit: Exta homini ab inferiore parte uiſcerum ſeparantur
membranis, quæ præcordia appellant, quia cordi prætenduntur,
quod Græci appellauerunt Phrenas. Huic certe refertur accepta
ſubtilitas mentis, ideo nulla eſt ei caro, ſed neruoſa exilitas. Ex qui
bus uerbis duplex error manifeſtatur. Primus eſt, quod Diaphra
gmati referri acceptam mentis ſubtilitatem dicunt, nam falſum
eſſe, Ariſtoteles, Peripateticiq; omnes contendunt, aſſerentes nul
lius eſſe rationis participes Phrenas, ſed ſic a Græcis nominari,
quia adiacent, uicinaq; ſint his quæ facultatem obtinent illam, ſi-
cut paulo poſt dicemus. Cordi igitur, iuxta Ariſtotelem ac Peri-
pateticos, accepta refertur ſubtilitas mentis, ob uicinum uero ſi-
tum ſepto. Secundus error priori multo maior eſt, quod Diaphra
gmati nullam ineſſe carnem ſcribunt, hoc enim cum Galeni nobi
liſſimi Medici, & in diſſectionibus membrorum peritiſſimi placi-
tis pugnat. Is nanq; libro ſeptimo de Vtilitate partium, cap. xxi.
Septum tranſuerſum non Membranam, ſeu neruoſam exilita-
tem, ſed Muſculum potius nominat. Eius hæc ſunt uerba: Phre
narum propria quidem ſubſtantia Muſculus eſt. Si Muſculus eſt,
carnem habeat neceſſe erit, nam id propriæ naturæ ratio indicat,
cum muſculus nihil aliud ſit, niſi caro neruis intexta. Teſtis eſt Ra
zes, qui libro primo, capite tertio Muſculum ita depingit: Muſcu
lum itaq; ex carne & neruo & ligamento componi dicimus. Nec
aliter deſcribit Muſculum Auicenna Fen prima, Canonis primi,
doctr. v. Summa ij. capite primo, dicens: Muſculus eſt mem-

capite decimo plane hoc eſſe carnoſum ſignificat, in eam ſententi-
» am ſcribens: Annectitur hoc Septum ſiue cinctus coſtis parte ſui
» carnoſiore, ualidioreq́;, media autem conſtat membrana exiliori,
» ita enim & ad robur, & ad prætentum commodius eſt. Contra ca
» lorem ſe efferentem hoc ueluti ſobolem eſſe argumentum ex iis,
» quæ plerunq; accidunt ducitur. Vbi enim propter uicinitatem at-
» traxerint humorem calidum atq; excrementitium, continuo men
» tem ſenſumq; plane perturbant. Quamobrem Phrenes appellan
» tur, quaſi participes prudentiæ ſint. Atqui nullatenus participes
» ſunt, ſed quia propinquæ ſunt iis, quæ uim obtinent illam, cordi
» enim prætenduntur, hinc mentis mutationem aperiūt. Quam ob
» rem tenues parte ſui media ſunt, non modo de neceſſitate, quod
» cum carnoſæ ſint parte ſui coſtis ammota carnoſiores eſſe neceſſe
» ſit, uerum etiam ut minus uaporis excipiant. Nam ſi carne plenio
» re conſtarēt, copiam uaporis & haberent & traherent. His uerbis
Ariſtoteles utroſq; errores prædictos affatim confutat. Mundi-
nus quoq; in ſua Anatomia, Diaphragma non ex omni parte car
» ne carere, iis uerbis indicat: Tertius panniculus eſt Diaphragma,
» qui etiam dici poteſt muſculus, cuius ſitus eſt in pectore, in fine pe-
» ctoris & coſtarum altior exiſtens in parte anteriore q̄ poſteriore.
» Nam quantū ad eius partem carnoſam eſt continuatū cum char-
» tilaginibus coſtarum mendoſarū. Et paulo poſt: Et ex hoc appa
» ret, quod diuerſificatum eſt Diaphragma ab aliis muſculis, quia
» alii muſculi in loco, ubi oſſibus applicantur, ſunt cordoſi, in aliis
» uero carnoſi. Id quod etiam teſtatur Galenus libro ſecundo de
» Affectis Locis, capite primo, inquiens: Nam muſculi quidem in
» plurimis uel capitibus, uel extremis partibus neruoſi ſunt. Id uero
» quod in medio continetur, omnes homines carnem nominant.
Ex iis itaq; ſatis patet, Phrenas eſſe carnoſas, ea maxima parte ubi
coſtis admouētur, id quod ex ſectionibus etiam liquet. Quantum
ad alteram huius errati partem attinet, Alexander ita docet lib. ij.
» cap. viij. Horum primum quod tenuius uocatur, in ſinus tortuo-
» ſos uehementer implicitum eſt, & orbes, & inteſtino quod Medi-
» um Latini, Græci μεσοντέειον uocant. Imitatus eſt uero Macrobi-
um, qui libro primo de Somnio Scipionis, Meſenteron inter in-
» teſtina numerat, dicens: Inteſtina principalia tria, quorum unum
» Diſſipium uocatur, quod uentrem & cætera inteſtina ſecernit. Al
» terum Medium, quod Græci μεσέντερον dicunt. Hi autem utriq;
inepte

inepte de Meſenterio ſcripſerũt, idcirco tale apud Græcos nomen adeptum, quod Medium ſit inteſtinũ. Nam Meſenterium non eſt inteſtinum, ſed potius in medio inteſtinorum collocatum, unde & illi apud Græcos nomen, a poſitu ſcilicet ſuo. Ita paſſim in ſuis Anatomicis libris dici Galenus teſtatur. Vocant uero Græci alio nomine Meſareon, quoniam omnes quæ ad ipſum ex hepate ſe-runtur uenas, una cum adiacentibus arteriis circumquaq; ambit & complectitur. Meſenteriũ itaq; latine recte Medianum dixeris.

ERROR LIX.

ERrat Alexander Benedictus, Bronchum cum Larynge confundens, Muſculoſq; Epiglottidi tribuens, qui Broncho iuxta eius deſcriptionem recte tribuendi erant.

Alexander ſuæ Anatomices libro tertio, cap. xviij. Bronchũ iis uerbis depingit: Bronchus in gutturis ſuprema parte ſitus eſt, ›› pelliculare membrum, muſculoſum, chartilaginoſumq;, ut argu ›› tius ſit, in quod percuſſus ſpiritus, ſonus aut uox ipſa perfectius ›› elidatur. Quæ deſcriptio minime Broncho cõuenit, nam id mem ›› brum pelliculare, muſculoſum, neruoſum, chartilaginoſumq;, præcipuum uocis, de quo ipſe loquitur, inſtrumentũ, nõ βρόγχος a Græcis, ſed Bronchi caput ſeu λάρυγξ nominatur. Bronchus uero, teſte Galeno, libro tertio de utilitate partium, cap. iij. & xi. eſt ipſa arteria, inquit enim: & ipſam arteriam Bronchum nomi- ›› nant. Et libro ſexto de Tuenda Sanitate ait: Sed excrementi in hos ›› decurſum, tum gula excipit, tum aſpera arteria, appellant hanc ›› Græci & βρόγχον, cuius ſumma pars quæ ori coniũgitur, λάρυγξ ›› autem Græce dicitur, inſtrumentũ eſt uocis. Quare cum Alexan ›› der ſcribit Bronchum eſſe in gutturis ſuprema parte conſtitutum, nihil aliud dicit, niſi guttur eſſe in ſuprema gutturis parte, ſiue Tracheam arteriam in ſuprema arteriæ parte, rem dictu ridiculam, conſtitutam. Nam ſecundum eundem Tracheam arteriam Lati-

caput λάρυγγα, Latini uero guttur appellauerint. Hinc eſt, ꝙ & Theodorus Gaza non uno in loco apud Ariſtotelem perperam Tracheã arteriam guttur nominet. Proinde manifeſtum admodũ eſt Alexandrũ, Bronchũ cum Larynge confudiſſe, nec enim membrum illud, quod eſt præcipuum uocis inſtrumentum, Bronchus ſimpliciter uocatur, ſed ſicut diximus, Bronchi caput ſeu Larynx, & guttur. Teſtis Galenus, qui libro ſeptimo de Vtilitate Partium,
,, cap. xi. in hunc modum ſcribit: Larynx inſtrumentum ſpiritus
,, eſt, nominatur autem non hoc nomine ſolum, ſed & Bronchi ca-
,, put. Quod autem Muſculos tribuat Epiglottidi, qui tribuendi erant Broncho, id eſt, Laryngi, nam ipſe Bronchum pro Bronchi capite deſcripſit, ex eiuſdem uerbis colligi poteſt, quæ ſcribit libro
,, quinto ſuæ Anatomices cap. xviij. in hunc modum: In Epiglotti
,, de, gutture ac gula trigintaduo ſunt muſculi. Quibus equidem uerbis nec quot Epiglottidi, quot gutturi, quot ue gulæ tribuat, inſinuat. Quia uero per guttur intelligit aſperam & ſuperiorem eius terminum, ut antea oſtenſum eſt, erunt ipſius quidem arteriæ muſculi quatuor, Laryngis uero uiginti, iuxta Galeni libro ſeptimo de Vtilitate Partium ſententiam, ſecundũ autem Auicennam, decem & octo. Quare ſimul iuncti erunt uiginti quatuor, uel uiginti duo, decem ergo ſupererunt Epiglottidi & gulæ tribuendi. Verum apud quem authorem, uel Græcum, uel Latinum legit Epiglottida, quam Plinius minorẽ linguam uocat, habere Muſculos? Certe non apud Galenum aut alium quempiam ex Græcis aut Latinis, ſed apud Auicennam Fen prima, Cano. primi, doctr. v. Summa ij. cap. xi. de Anatomia Muſculorum Epiglottis. At ſciat Auicennam in hoc capite, ſicut & in aliis, in quibus de Epiglotto facit mentionem, per Epiglottum non minorem linguam, ut Græci et Latini intelligere, ſed Larynga. Id quod eiuſdem teſtatur
,, deſcriptio, quæ huiuſmodi eſt: Epiglottis eſt membrum chartila-
,, ginoſum, creatum, ut ſit uocis inſtrumentũ, quod ex tribus com-
,, poſitum eſt chartilaginibus. Hæc enim deſcriptio in uniuerſum quadrat cum ea, quæ Laryngis eſt, ut licet uidere apud Galenum libro ſeptimo de Vtilitate partium, cap. xi. ubi Larynga ex tribus chartilaginibus magnis conſtare ſcribit. Auicennam ſecuti ſunt Arabes alii, ac recentiores ferme omẽs, qui uocabulo abutentes, per Epiglottida Larynga falſo intellexerunt. Quo in errore & antiquus Galeni interpres hæſit, paſſim Larynga Epiglottum interpretans.

pretans. Eſt autem ἐπιγλώττις, quam Ligulam aliqui, Plinius uero libro undecimo, cap. xxxvij. minorem linguam uocat, operculum quoddam Tracheæ arteriæ accommodatum, ne inter epulandum cibus potus ue in alienum tramitem delabatur, ac hoc pacto deerrans torqueat. Non ſecus ἐπιγλώττιδα definiuit Alexander libro tertio, cap. xi. adeo ut a tam craſſo errore ſe defendere non poſſit, niſi plane deficiat ad barbaros, & ſe per Epiglottida, nō minorem linguam, ſeu operculum Tracheæ arteriæ, ut antea fecit, ſed id uocis inſtrumentum, quod illi abutentes uocabulo, Epiglottum appellant, dixerit intellexiſſe. His itaq; ſatis conſtat, Alexandrū perperam Epiglottidi Muſculos tribuiſſe: qui ſi recte loqui uoluiſſet, Broncho iuxta ſuā deſcriptionē erant tribuendi.

ERROR LX.

CAecutiunt omnes fere Medici barbari, iunioresq; barbaram medicinam ſequentes, Oeſophago aut gulæ Muſculos motui illi obſeruientes, quo gula deorſum fertur, guttur uero ſurſum, tribuentes, cum motus ille plane ſit naturalis, adeoq; Muſculis opus non habeat.

Auicenna Fen prima, Canonis primi, doctr. vi. capite ultimo transglutionem duabus compleri uirtutibus, iis uerbis indicat: Et ſimiliter tranſglutiendi operatio duabus cōpletur uirtutibus. Vna eſt attractiua naturalis, & altera eſt attractiua uoluntaria. Et prima quidem ſuam operationem complet per uillum, qui ſecundum longitudinem protenditur, qui eſt in ore ſtomachi & Iſophāgi. Et ſecundo completur operatio per uillum lacerti tranſglutiendi. In eandem fere ſententiam de duabus uirtutibus, altera naturali, altera animali, adiuuantibus deglutionem, loquitur idem Auicenna Fen xvi. Canon. iij. Tractatu primo, capite primo in hunc modum: Et ſecunda cauſſa eſt, quod penetranti in Meri non attribui

,, motum uoluntarium ita ſcribens: Et non mouetur aliquod ho-
,, rum membrorū, quæ ſunt uia cibi per lacertos, niſi duo extrema,
,, ſcilicet caput, & eſt Meri & guttur, & inferius, & eſt ſicteris. Si itaq;
,, in Meri eſt motus uoluntarius, colligitur neceſſario eandem habe
,, re Muſculos. Nam ut ait Razes libro primo, capite tertio, Omne
,, membrum quod uoluntario mouetur motu, Muſculum habet
,, quo mouetur. Auicenna deniq; Fen ix. Canon. v. cap. viij. terti-
am ſpeciem ſuffocationis apoſtemoſæ in intrinſecis Meri lacertis
,, fieri ſcribit, inquiens: Aut erit in lacertis intrinſecis Meri, et quæ ſe
,, quuntur ipſum, & ſtringit anhelitum. Ex quibus Auicennæ locis
manifeſtiſſime colligitur, eundem uoluiſſe Meri habere lacertos,
atq; ita ipſum moueri non modo ex ui naturali, ſed etiam animali,
quæ per lacertos operatur. Auicennam ſecutus eſt Iacobus Forli
uienſis in expoſitione Aphoriſmi trigeſimi quarti, quartæ particu
læ, ubi quatuor ſpecies anginæ enumerans, tertiam numero po-
nit illam, quæ fit in lacertis intrinſecis Meri. Quamuis hoc loci Ia-
cobus non ſolum erret, quod falſo Muſculos Meri intrinſecus tri-
buit, qui nulli ſunt, ſed falſo allegat & Hippocratem tertio Præſagi
orum, & Galenum quarto Interiorum, de tali ſpecie anginæ in-
trinſecos Meri Muſculos obtinente, mentionem facientes, cum ta
men neq; Hippocrates neq; Galenus in expoſitionibus ſuis, neq;
etiam libro quarto, capite tertio de Affectis Locis, ubi & ipſe an-
ginæ quatuor ſpecies facit, quicquam de tali ſpecie loquantur, in
qua Muſculi intrinſeci Meri ſeu Iſophagi ſint apoſteman, liceat ē
uti barbaris uſitatiſſimo uocabulo. Alexander quoq; Benedictus
libro quinto ſuæ Anatomices, cap. xviij. ita Muſculos gulæ ſicut
Epiglottidi & arteriæ tribuit. Verum motus deglutionis, quo ci-
bus deuoratur, mere naturalis exiſtit, hoc eſt, factus uirtute uillo-
rum gulæ, qui deglutionis tempore in ſe contrahuntur, & ea ceſ-
ſante relaxantur, non autem ut Auicenna ac iuniores alii ſentiunt,
ex naturali & animali compoſitus. Quare ad eum nulli Muſculi
ſunt neceſſarii, ſed illi tantum, quos Græci ἶνας, Medici recentio-
res Villos, per quos uis attractiua naturalis ſuum exercet opus.
Adeoq; ipſum Meri ſeu Oeſophagus pótius præſtat Muſculi in
animalibus miniſterium, q̄ ut moueatur per Muſculos, & hoc
poſſe quoq; aliquos exiſtimare libro primo de motibus Muſculo-
rum Galenus inſinuauit. Sunt autem ἶνες ſiue uilli corporis par-
tes ſubſtantiæ tenacioris, ſolidæ, graciles, oblongæq;, filo perſimi-
les, quæ

les, quæ motui ſubſeruiunt, & carni robur adiiciunt. Non habere uero gulam Muſculos, teſtatur in primis Galenus, qui multis in locis librorum ſuorum de Potentiis Naturalibus, & præſertim capite octauo tertii deglutionem fieri per facultatem attractiuam uentriculi, uirtute uillorum oſtendit. Hinc eſt quod nuſquam in ſuis de Sectione libris, ſiue aliis in quibus de uarietate loquitur Muſculorum, ullam facit de Muſculis Oeſophagi ſeu gulæ mentionem. Sed neq; Auicenna ipſe Fen prima, Canonis primi, doct. v. ſumma ij. ubi de omnibus Muſculis per ſingula membra tractat, quidquam de Meri Muſculis refert, ſed ſolum de Muſculis gutturis, quos adiuuare deglutionem dicit. Per guttur autem Pharynga ſeu fauces, ut Arabes omnes intelligit. Aliabas quoq; tertio Theorices nec uerbum unum facit de lacertis Meri, ſed tantum de lacertis gurgulionis, hoc eſt, faucium. Aliud uero eſſe fauces, aliud Meri, pueris etiam notum. Alexander deniq; libro tertio, cap. xvij. de uirtute naturali gulæ loquitur, hunc in modum ſcribens: Gula duplici membrana, uarioq; uillorum ordine conſtat. Altera ſtamine per latitudinem procedente cibum expellit, qui cum attrahitur cedit, nec læditur. Altera uero interior, deorſum trahit uillorum oblongo ſtamine cibum, ea uis καθελκτικὴ dicitur, faucium peculiaris, qua in epulando craſſam, congeſtamq; materiam per faucium anguſta farcimus. In quibus uerbis in actu deuorandi nullam aliam uim gulæ tribuit præter naturalem, quem καθελκτικὴν Græci uocant, oblongo uillorum ſtamine cibum trahentem. Proinde merito culpandus fuit, quod poſtea gulę Muſculos tribuerit, nam naturam hoc pacto aliquid fruſtra feciſſe putauit, gulæ ſcilicet Muſculos. Ad quem enim uſum illos gulæ natura dedit, niſi uel ad attrahendum, uel expellendum cibum? At quia uillorum hoc opus eſt, Muſculi fruſtra creati ſunt. Quare nullo pacto committendũ erit, ut gulæ ſeu Meri intrinſecos Muſculos tribuamus. Si qui uero Muſculi ſunt extrinſecus ipſum contingentes duo in parte anteriori uerſus guttur, duo in poſteriori uerſus colli uertebras, neutrum uero par ſeruit motibus Meri, ſed alterum quod cor ringit anterius, motum præſtat chartilagini gutturis, quæ cly-

ceſcam, ſatis enim ſuperq; de recentiorum Medicorum erratis dictum eſſe puto. Nam etſi uniuerſa hoc uolumine non complexus ſum, id enim non unius hominis labor eſt, poterunt tamen ſtudioſi inſtar horum facile reliqua etiam deprehendere, modo diligenti examine iuniorum dicta ad ueterum placita ac rationem ipſam exigant. Ego certe nullo alio nomine in hunc ſcribendi campum diuerti, niſi ut ſtudioſis uiam præſtruerem, anſamq; præberem, ut & ipſe arrepto barbito dulcius ſonarēt. Quod ſi meum hunc laborem probauerint, tum quicquid uitæ supereſt, ita iiſce curis impertiar, ut ſtudioſorum ſubſeruiat commodis. Valete, & boni conſulite.

FINIS.

HAGANOÆ IOHANNES SEcerius excudebat, Anno a Chriſti Natiuitate M. D. XXX. Menſe Martio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE